

1709

Geop. Hist. Naturae.

in Nieder Oester.

1709

in Nieder Oester.

1709

V
F. 4

Handwritten text on the left edge of the page, likely a library stamp or inventory number, written in a dark ink. The text is partially obscured and difficult to read, but appears to contain several lines of characters.

Sum ex libris ~~scribitur~~
Anno, 1602.

Henricus ~~scribitur~~

347



A P O L O =

GETICA ALIQVOT
SCRIPTA MAGISTRI
Ioachimi Vuestphali, quibus &
sanam Doctrinam de Eucha-
ristia defendit, & foedissi-
mas calumnias Sacra-
mentariorum
dilyit.

V R S E L L I S

Excudebat Nicolaus
Henricus.

Anno 1558.

Am

A P O L O

GETICA ALIO VOT

SCRIP T A M A G I S T R I

Ioachim Vuchphall, quibus &

Iannam Doctrinam de Bucha-

ritia defendit, & locutis

magis salutarias sacra-

mentariorum

edit.

V R S E L I S

Excudebat Nicolaus

Henricus.

Anno 1778.

1778



PPIO ET SYNCERO LECTORI salutem per Christum
Iesum.

QVOD in parabola de Oeconomo iniusto dicitur: filij huius seculi sunt prudentiores, quam filij lucis in generatione sua, id in Anabaptistis & Sacramentarijs experimur uerissimum esse. Nam toto aduersus piæ fidei ueritatē impietatis suæ ingenio laborant, & plus adhibent carnalis prudentiæ, diligentia, & operæ, ad falsa sua dogmata disseminanda, propaganda & defendenda quocumq; modo, quam filij lucis impendunt sanctam prudentiam, uigilantiam et studium in uera doctrina prouehenda et asserenda: plus illi sese fatigant in seducendis & perdendis multis millibus animarum, quam hi occupantur,

A 2 tur,

tur, ut homines ab erroribus pernicio-
sioribus conseruentur illæsi, & ad sa-
nitatem & salutem reducantur sedu-
cti. Nullam rationem temporis
habent illi, non laboribus, non sum-
ptibus parcunt, dummodo res suas
promoueant & stabiliant, magnas
impensas faciunt, insumunt grandē
pecuniam libris suis excudendis, &
latissimè per regiones & ciuitates
dispergendis, quos partim circun-
quaq; ad multos mittunt dono, par-
tim in urbibus uel in domos clā pro-
ficiunt, uel in publicis locis expo-
nunt, ut ita in multorum perueniant
manus, si qui uel emere grauentur,
uel interdictum sit noxios libellos
diuendere. Sinon datur copia pre-
lis impune diuulgandi ipsorum no-
xios foetus, uel si occultare se uolūt,
ne deprehensi habeantur pro Ana-
baptistis & Sacramentarijs, emit-
tunt ad suos intimos clanculum ali-
quot

quot scripta exemplaria, quæ dein
de sæpius alia ex alijs descripta pas-
sim circumferuntur. Hoc artifici-
um nunc fit usitatum occultis qui-
busdam Sacramentarijs, quos cohi-
bet adhuc metus aliquis, non tam
Dei, quàm hominum, ne apertè, qui-
nam sint quidè sentiant, profiteantur.

Huius generis clandestina scrip-
ta tria uidi his diebus, & audio multa
eiusmodi alia circumuagari & in-
sidiose obrepere, ac insinuare se, qui-
bus contagio Sacramentaria diffusa
quamplurimos infectos & corrup-
tos seducat. In quibusdam uideo ita
attemperari speciosos colores, ac
utriq; parti aptari cothurnos ambi-
guos, ut præparent uiam ad fucam
tam & fallacem concordiam consti-
tuendam inter nostros & Cinglia-
nos, non id agitur, ut extirpato erro-
re, & Ecclesia ab eius periculo libe-

A 3 rata,

rata, ueritas locum suum obtineat,
sed ut aliquantulum obductus et
occultatus agat radices, suoq; tem-
pore repullulet, crescat, et uigeat u-
berius. Est inter bonos istos concili-
atores, qui controuersiam agitã
per tot annos à tantis uiris facile cõ-
poni (oculis hæctenus cæcutiẽtibus
curatis et illustratis uno emplastro)
posse omnibus percuperet persua-
sum esse, si bene intellecta una uo-
cula Sacramenti recipiatur utrinq;
et dicantur corpus et sanguis Chris-
ti adesse et sumi in S. Cœna sacra-
mentaliter, hoc est, figuratè et sig-
nificatiuè. Unus nominatim me
impetit, Epistola mihi inscripta, quæ
ad me uenit ἀνώνομος, non addito
nomine authoris, non excusa, sed
exarata, subornata fortassis, quan-
tum conijcio ex quibusdam inditijs,
ut excusa diuulgetur. Quod es-
tiam si non fiat, tamen oberrat. u-
biq;

biq; , quæ cum non solum me atrociter et impudenter criminando , sed etiam causam ipsam deformando pessimis artibus lædat , errori subdole ^{conspiciatur} patrocinetur , ueræ doctrinæ obtrechet et maledicat , opposita refutatione breuiter ac simpliciter respondi, imo uerius responsionis et apologiæ iustæ primas lineas duntaxat adumbraui , unde apparet, quàm mihi suppeteret idonea occasio et copiosa materia prolixè et acriter refutandi istum , quicumq; fuerit , calumniatorem , nisi mallemoderatiore ratione defensionis uti , ac nudam simplicem et manifestam ueritatem retundendis mendacijs opponere , quam meum ius persequi seuerius.

Veritas enim per se satis ualida non amat accurate multis defendi: mendacio autē nihil est imbecillius,

A 4 quod

quod labascit & corrui, utrunq;
multis fulcris sustentetur. Obsecro
autem per Christum omnes pios, ut
de meis laboribus & scriptis candi-
de iudicent, si dignentur ea legere;
Si non legerint, ne reprehendant aut
damnent ignota, cum sciant, temeri-
tatem esse indignam bonis uiris, de
incognitis pronunciare. Quidam
ne inspectis quidem meis libellis, in
me conferunt, quæ nec scripsi, nec
dixi, nec sensi unquam, neq; profer-
ri & ostendi possunt ex meis scrip-
tis, tales cogitent quæso, Dei præ-
cepto prohiberi, ne quis temere iu-
dicet, neue falsum testimonium di-
cat, non contemnant nec uentis com-
mittant comminationem denuncia-
tam falsis testibus, quod non erunt
impuniti. Deinde oro uiros doctri-
na & auctoritate præcellentes, con-
stitutos in specula Ecclesiæ, quibus
præ alijs cœlestis doctrinæ custodia
com-

commissa est, ut causam publicam,
quæ Dei est, sibi commendatam ha-
beant, pro ea fideliter depugnent,
nec sinant se ab ea propugnanda de-
terreri acerbissimis odijs, maledi-
ctis & iniurijs grauissimis, quibus
hoc tempore onerantur, qui pro de-
fensione ueritatis uel os aperiant, et
Satanæ Prophetis uel paululum re-
sistunt: memores sint, Episcopis &
pastoribus animarum, non tantum
demandatas esse partes, ut doceant,
sed etiam ut belligerentur, non so-
lum ut oues deducant ad læta, et sa-
lubria pascua, sed etiam ut lupos ar-
ceant, & oues custodiant ab eorum
incurfu & uiolentia, & eos demum
suo officio fideliter fungi, qui & do-
cendi rectè munus obeunt, & con-
tradicientes sanæ doctrinæ conuin-
cere, & eis os obturare, indefesse &
impigre laborant: Præterea rogo,
ut sanandis malis Ecclesiæ & com-

A 5 po

ponendo diffidio Sacramentario adhibeant uera, sancta, solida, et necessaria remedia, ita ne ueritas lædatur, ne causa bona periclitetur, cogitent quam infœliciter consulatur concordia et paci, cum detrimento et iactura ueritatis, considerēt quanta damna, quanta scandala dederint Sacramentarij, quot maledicta et blasphemias effuderint in Christum, in sacratissimam eius coenam, in uerbum, et ministros eius, quam multi seducti sint et seducentur editis libris ipsorum, quam late aperientur fores Sacramentariae pesti, ut uel in tenebris uel in clara luce grassetur, si res leuiter et perfunctorie transigetur.

Postremo peto, non negligenter expendi, quibus authoribus doctrina de coena Domini orta, progressa et defensa sit in utramque partem, indeque dijudicari, quæ conueniens cū uerbis

uerbis Christi ex Deo sit per ministrum eius, de quo non dubia testimonia extent, spiritu Dei gubernatum esse in causa Eucharistiae agenda: quae econtra non sit ex Deo, sed ex hominibus, dissentiens à uerbis Christi, agitata per eos, de quibus non sint dubia argumenta, quem spiritum impulsorem & ducem habuerint. Apostolus Paulus monet sub Timothei persona Episcopos & eorum auditores, ut persistant in his quae didicerunt, et quae eis cōcredita sunt, scientes à quo didicerint.

Idem consilium Apostoli propositum in hac admonitione, recte et iusto sequimur in dissensione de Eucharistia, ut persistamus in his quae didicimus, memores à quo didicerimus doctrinam de coena Domini. Scimus nos eam accepisse à Domino nostro Iesu Christo, per electum et fidelem eius ministrum,
testem

„testem & confessorem sanctæ me-
 „morix D. Martinum Lutherum,
 „quem & doctrinæ excellentia & for-
 „tudo in periculis, constantia in ad-
 „uersis, sapientia & dexteritas in con-
 „silijs dandis, alijsq; insignia dona spi-
 „ritus, & res fœliciter gestæ, et admi-
 „randa opera ostendunt, fuisse uoca-
 „tum, corroboratum, & gubernat-
 „tum à spiritu Dei. Sacramentarij
 uero habent suum dogma à turbu-
 lento & seditioso homine Andrea
 Carlostadio, & Cinglio, qui cum gla-
 dium accepisset, gladio periit, iuxta
 sententiam Christi, in bello Heluetis
 co trucidatus. Carlostadius et Cin-
 glius hauserunt suum errorem ex
 lacunis Berengarij hominis superbi
 & arrogantis, qui Baptisma infantium
 reiecit, suam doctrinam de Sa-
 cramento Eucharistiæ bis reuoca-
 uit, & desperabundus dixit moritu-
 rus: hodie apparebit mihi Dominus
meus

*Lutherus
 car. & gub. mag.
 Carlostadius
 à 55.*

*Andrea car
 lostad. plura
 in 2 tom. 1. fol.
 fol. 197. b.
 Cinglius uerus
 Berengarij
 desperans*

meus Iesus Christus, propter poenitentiam, ut spero ad gloriam, uel propter alios ut timeo ad poenam.

Iste Berengarius sustulit praesentiam corporis & sanguinis Christi e sacra mensa, figuram pro corpore, pro Est, significat, induxit. Depravatis scripturis et sententijs patrum usurpavit argumenta eadem, hoc est, sophismata & fallacias quas discipuli magistri sui Cinglij adhuc hodie adhibent, eandem omnino causam agentes, tametsi quidam illis addicti comminiscantur, commodius hos sentire quam illi senserint, quidam etiam fingant, nullam unquam de re ipsa inter Lutherum & Cinglianos dissensionem fuisse, hos nunquam negasse veri corporis Christi & Sanguinis praesentiam in S. Coena, cum tot libri supersint, qui testimonium ferant, & Sacramentarij ipsi contradicant, & uel unius Episcopi

Berengarius

scopi Cantuariensis Thomæ Cran-
meri liber editus hoc anno, testis sit,
nihil discriminis esse inter Cinglij &
nostri huius temporis Sacramenta-
riorum sententiam, hos quoq; retin-
ere ac propugnare tropum, figu-
ras, significationes patriarcharum
suorum Berengarij & Cinglij, et ne-
gare reuera adesse et edi Corpus
Christi in Sacramento sacrae Coenae.
Nos igitur audiamus beatum Pau-
lum nos monentem his uerbis: Ma-
nete in his quæ didicistis, scientes à
quo didiceritis.

Caueamus uarias insidias, late-
bras, technas et dolos, præcipue pru-
dentes simus ne circumducamur de-
cepti amphibologijs, quales sunt, cū
dicitur: Christi Corpus editur in
Eucharistia Sacramentaliter, spiri-
tualiter, fide, ore fidei. Christus ad-
dest in Sacramento uere et effica-
citer, per communicationem Idio-
matum

matum diuinitate sua, spiritu, uirtute,
te, & hæc locutiones exclusiue opo-
ponuntur contra ueram Christi cor-
poris & sanguinis præsentiam, &
illi qui utuntur in scribendo & lo-
quendo illis formulis, non admit-
tunt alias quæ affirmant, Christi
uerum substantiale Corpus esse &
reuera edi in Cœna, Christum cor-
pore & sanguine suo se exhibere, et
impertire præsentem, Christum a-
desse & sumi substantialiter, ore
quoque corporis accipi eius corpus
& sanguinem.

Nam tales sermones non ferunt
manifesti Sacramentarij: occulti ple-
runque sese aperiant, cum his absti-
nent in concionibus, siue in scriptis
suis, et cum instanter his urgentur
quando debent edere ingenue abs-
que inuolucris confessionem suæ fi-
dei de præsentia Christi in Cœna

Non igitur attendamus solummodo
modo

modo ad uocum & sermonis similitudinem, sed multo magis ponderemus sensum uerborum. Non de re nihili & leuicula agitur in hac con-
trouersia, sed de diuino et præstantissimo thesauro de cibo et potu salutari preciosi corporis et sanguinis Redemptoris nostri Iesu Christi. Grande sacrilegium est et damnum graue, auferri ex S. coena uiuificam alimoniam carnis et sanguinis. Tollerunt hæc Sacramentarij, et simulant se relinquere uirtutem, et merita corporis et sanguinis Christi, ac tandem etiam illa auferent nobis, et negabunt aliquid prodesse ad Salutem. Nulla religio est illis dicere, Carnem Christi nihil prodesse. Osiander ademit Christi sanguini uirtutem iustificandi. Eodem tendit spiritus nequam in Sacramentarijs, audet contemptim eleuare sanctam carnem Christi, et de ea prophanè loqui, quid

Osiander

quidni etiam de eius passione, me-
ritis & partis per eam beneficijs au-
deret irreligiosos inferre sermones,
& ea extremè contemnere & nihi-
lipendere? Quapropter uigilemus
& sciamus maiori uigilantia & pru-
dentia in cauendis occultis insidijs
opus esse. In refutando autem scri-
pto noui aduersarij mei, ea à me ser-
uatur ratio, quod primo loco præ-
mitto uerba Epistolæ, postea addo
meam responsionem, ut lectori ex
collatione ueritas magis perspicuè
elucescat.

Cont. h. s. d.

Fœliciter uale in Christo Iesu
Hamburgi, mense Septembri. An-
no recuperatæ per Christum sa-
lutis, millesimo quingentesi-
mo quinquagesimo sep-
timo.

Ioachimus Vuestphalus.

B

Apolo.

APOLOGETICA RE-

sponsio M. Ioachimi Vuestphali,
ad Epistolam cuiusdam Sa-
cramentarij.

ADhortatur nos, Ioachime Fra-
ter, Paulus ille uinctus, ut di-
gnè ambulemus uocatione no-
stra, qua uocati sumus, summa cum
humilitate, mansuetudine, & lon-
ganimitate nos inuicem in charitate
tolerantes, studentes seruare unita-
tem spiritus in uinculo pacis.

Frater)

*Iam fratrem fide uocas, mox oblitus fra-
ternæ dilectionis, uastatorem Ecclesiæ facis, Si
fratrem me agnoscis, cur non fraternè mecum
agis? Si frater sum, cur ueluti inimicum ho-
stiliter insecaris?*

Vt dignè ambulemus uocatio-
ne nostra)

*Si dignè ambularetis uestra uocatione, tan-
quam*

quam hospites in alienis Rebus publicis & Ec-
clesijs ageritis tranquille & modeste, non con-
turbaretis eas, non spargeretis noua dogmata
de Cæna Domini, de Baptismo & alijs, non in-
nouaretis usitatas Cæremonias, faceretis secun-
dum consilium, quod dedit Augustinus, uir exi-
mia prudentia præclarus, scribens Epistola 118.
Ianuario, nullam disciplinam in externis obser-
uationibus Cæremoniarum esse meliorem, gra-
ui prudentiꝫ Christiano, quam ut eo modo a-
gat, quomodo agere uiderit Ecclesiã ad quam-
cunque forte deuenit. Quod enim neq; con-
tra fidem, neq; contra bonos mores iniungitur,
indifferenter est habendum, & pro eorum in-
ter quos agitur societate, seruandum est. Cùm
igitur ipsi non ambuletis dignè uocatione ue-
stra, nec me recta ingredi uia ferre potestis, sed
scœuitis in me, eò quod contradico falsis doctri-
nis, quod tamen ut faciam, ad meam uocationem
pertinet.

In humilitate & mansuetudine)

De his uirtutibus perpetuo multa soletis de-
clamitare, ut uestimenta ouium uobis circum-
detis. ~~Simulatis potius, quam reuera præstatis~~
~~eharitatem & mansuetudinem.~~ De qua hypo-

B a crisi

vera humilitas est :

crisi Paulus inquit Coloss. 2. Incedunt in humilitate & religione angelorum. Vera humilitas est, sapere secundum uerbum Dei: ita si te humilem præberes, nihil controuersie mihi tecum esset. Si Apostoli exhortationem ad animi uestri admittitis penetralia, & uerè mansueti estis & longanimes, cur erga me mansuetudinem & longanimitatem non exhibetis? Cur tam multi & tanti in me unum undiq; impetum facitis? Si is sum quem tu tuiq; similes esse fingitis, & uideri ab omnibus uultis, cur non potius misericordia afficimini? cur non toleratis potius pro uestra mansuetudine, quàm liuidos dentes in me infigitis & laceratis undiq;?

Quòd si putatis me indignum esse, cum quo agatis mansuetè & leniter in causa mea bona & iusta: quid à me postulatis mansuetudinem & tolerantiam in causa uestra mala? Intempestiuis uestris declamationibus commiscetis, quæ longo interuallo seponi & discerni debent. Non definitis quatenus progrediantur mansuetudo & tolerantia, intra quas metas consistant: non distinguitis ubi illa requirantur, et ubi locum non habeant. In ijs quæ fidei sunt
prepo=

præposterè præscribitis nobis leges humilitatis, mansuetudinis, & patientiæ: postulatis ut simus humiles mansueti & patientes in ijs, quæ non sunt nostra, sed Dei, quæ non nos ledunt priuatim, sed gloriam Dei & salutem proximi. Exigitis ne obsistamus uestris erroribus, ne uos reprehendamus seuerius, neuè moneamus alios, ut caueant sibi ne seducantur. Hac ratione nec Prophetæ nec Apostoli humiles & mansueti fuerunt, ne Deus quidem ipse isto modo longanimis est & patiens. Etsi enim diu patienter toleret peccantes: tamen peccata & scelera punit, delinquentes arguit & corripit. Apostoli & Prophetæ multa patientia sustinuerunt malè agentes, non tamen tolerauerunt hæreses & impietatem, quin resisterent Pseudopphetis & Pseudoapostolis, & seueriter hæreticos corripere. Non enim pugnat cum uera mansuetudine & patientia, mala arguere, & iusta seueritate peccantibus obsistere. Paulus uult seruum Domini tolerare malos, nec tamen prohibet, corripere rebelles.

Studentes seruare unitatem spiritus in uinculo pacis)

B B H6

His uerbis Apostolus præfinit certos fines, intra quos se contineant Christiana mansuetudo & tolerantia: requirit has uirtutes hac conditione, ut seruetur unitas spiritus: quæ est unitas fidei. Studium pacis coniungit cum studio seruandi unitatem spiritus, docens uinculum pacis non esse nisi in unitate sincerae fidei, & se commendare nobis piam & sanctam, non impiam pacem, ac firmari uinculum pacis, quatenus unitas spiritus seruetur. Studeant igitur Sacramentarij unitatem spiritus in una fide nobiscum seruare, & pax inter nos erit.

Quod utinam non aure summa exciperemus, sed in intima animi nostri admitteremus penetralia, & cordi penitus inscriptum, uita & moribus ostenderemus)

Hæc eadem ex animo uobis opto, apostolicam exhortationem non in superficie, non in transcurso & perfunctione uos legere, respicientes in uos ipsos, non in me aut alios: non solum calamo & uerbis sonare, non auribus extremis percipere, sed intus altè repositam habere, & factis ipsis exprimere. Hæc si fecissetis,

ses,

ses ipse, Apostolo exhortanti obtemperans,
nunquam ad talem Epistolam scribendam, qua-
lis hæc est, manum admouisses: ac cohibebis in
posterum, si ei obtemperare uelis.

Vita & moribus)

Adde etiam doctrinam. Non enim Apo-
stoli exhortatio tantum ad mores, sed etiam ad
doctrinam pertinet.

Melius enim multo (si quid ego
secundum mihi à Deo concessam gra-
tiam iudico) cum mortalium rebus
ageretur, minusque hodie in Ecclesijs
dissensionum ac perturbationum es-
set, unoquoque non quidem pro sua
autoritate placitisue digladiante, &
qui non in omnibus statim ipsi, con-
tra propriam etiam conscientiam as-
stipuletur, eum uirulenta sua lingua
seditionis flabello insectante sed hu-
maniter & comiter, cum altero de
religionis nostræ dogmatibus con-
ferente, & sacrarum literarum indu-
bitata autoritate de dogmatum ue-

B 4 ritate

estate constituere conante.

Minus hodie in Ecclesijs dissensionum esset)

Lupus agnum accusat de turbata aqua. Vilitatum est artificium Satanae, Papistarum, Pseudoprophetarum, & quorumuis sceleratorum hominum causam eorum malorum, quae ipsi designant, transferre in Deum & eius ministros, in doctrinam & defensionem ueritatis. Venitis ad Ecclesias, exaedificatas & constitutas aliorum laboribus, spargitis pestifera & turbulenta scripta, excitatis turbas: postea confertis culpam in alios. Desistite uosmetipsi turbas dare, tum multo minus perurbationum ubiq; in Ecclesijs erit.

Vnoquoq; pro sua autoritate digladiante)

Hec uerè competunt in eos, qui excellunt donis, autoritate pollent, sibiq; sumunt ius condendi decreta, ac sua placita sancta, rata, ac firma haberi uolunt, nequis ausit contra mutire. Nisi tui antesignani considerent sua & aliorum

aliorum quorundam autoritate, citò desperata victoria sui dogmatis defensionem desererent. Equidem nullam cupio habere auctoritatem præter eam quæ uersanti in ministerio Christi, & uerbum Dei afferenti, deferri iure debet. Nulla mea condo aut profero dogmata, non est meum dogma nec hominis cuiusquã, sed Dei, quòd de Cæna Domini profiteor, & integrum ac inuiolatum retinere cupio, falso igitur me insimulas, quòd pugno pro meis placitis, inq; tuos sodales ista accusatio recidit.

Qui non contra conscientiam
astipuletur)

Quàm nolim me cogi, ut aliquid faciam, credam, probem aut improbem contra conscientiam, ita nolim quemquam astipulari nobis in ulla re, de qua male sibi sit conscius, & à propria sua conscientia redarguatur.

Ceterum periculum malæ conscientie falsò prætexis in doctrina, de qua habemus pro nobis manifestum uerbum Christi: fides in uerbum Dei, non grauat conscientiam: uerùm ei fidem non adhibere, reluctari illi, & recla-

mare, id demum est male & cauteriata con-
scientia. Existimas ne nullam habere ratio-
nem conscientiae in tanta causa tot Christi Ec-
clesias, quae inuocant Deum & frequenter com-
municant mensa caelesti? Si ita iudicas, erras
grauissimè. Sin aliter tua est sententia, cur prae-
tendis, te non probare posse bona conscientia,
quòd fideles Discipuli Domini in his Ecclesijs
bene sibi consocij probant?

Virulenta lingua seditiosis fla-
bello incitante)

Mendacium uenenum est antiqui serpentis
Hoc ueneno habet infectam linguam quisquis men-
dacium loquitur ex semetipso & Spiritu Sata-
nae. Virulenta ergo lingua est, quae loquitur
falsam doctrinam Carolostadij & Cinglij: Ve-
ra doctrina nec mendacium est nec uenenum.
Atqui doctrina Christi uerissimè est, panem sa-
cræ Cænae corpus eius esse, & uinum, eius san-
guinem. Est igitur lingua salutaris, proferens
Christi doctrinam, non est suffusa ueneno, pro-
inde neq; seditiosis flabellum est, ubi mendaci-
um, ibi seditio est. Lingua mendax est seditio-
sa: ubi falsa doctrina defenditur, ibi hæret cri-

men

men seditionis. Carlostadius, Monetarius,
Anabaptistæ Monasterienses, mendaces erant
prophetae, ideoq; uirulentis suis linguis exci-
tabant seditiones.

Sed humaniter ac comiter con-
ferente)

Egregium uero specimen humanitatis & co-
mitatis præbuitis tuq; tuusq; Calvinus, Tu in
hac Epistola, Calvinus in gemina, ut falso titulo
uocat, defensione & nunc in Ultima admoniti-
one. Valdè humaniter scilicet, & comiter me-
cum confertis, mentiendo, maledicendo, & con-
uiciando.

In uestram eat scholam, uestrum exemplum
discat imitari, si quis inhumaniter & acerbè
imo furiose in innocentes debacchari uelit. A
me quidem nimis molli brachio & modestè tra-
ctati estis, pro merito & dignitate uestra longè
aliter tractandi. Liberiùs uobis aliquanto re-
spondeo, acrius refuto uestra mendacia & ma-
ledicta, non blandior uobis, non propterea fa-
cio aliquid inhumaniter: etenim comiter agere
non est assentari, non blandiri, non bona uerba
dare, & remissiùs falsa refellere. ~~Iusta seueri-
tas~~ in arguendo non aduersatur humanitati &
comi-

comitati. Offertis conditionem humaniter con-
ferendi absq; ullo asperiore uerbo, accipio liben-
ter: causam ipsam agite, argumentis & ratio-
nibus pugnete: paciscor uobiscum, me uelle ab-
stinere ab omni uerbo duriore, & simpliciter
ad argumenta ipsa respondere.

Atq; hoc quidem si usq; secutus
esses, & tuæ existimationi melius a-
pud pios, doctosq; homines, & Ec-
clesiæ concordia consulisses, maio-
remq; apud Deum libertatem, non
condemnante te propria conscien-
tia, haud dubie haberes.

Hoc si secutus esses)

Apposite tibi licet respondere, quod matri
iubenti, rectà incedere, cancer respondit, I præ-
sequar.

Tuæ existimationi melius con-
sulisses)

Non agitur mea existimatio, si de ea age-
retur, & fauorem hominum captarem, adiun-
gerem me uobis & uestris patronis magni no-
minis, utcunq; autem uos de me existimetis, id
non imminuit meam existimationem apud De-
um:

am: si non apud Sacramentarios, certè apud
alios uerè pios & doctos integra erit mihi bo-
na fama.

Et concordia Ecclesiae)

Veræ concordia consului in hoc ipso, quòd
factiosam Sacramentariorum concordiam di-
sturbavi. Est concordia mala inter malos in re-
bus malis, hanc turbare pium est, & gratum
Deo opus. Est & bona concordia inter bonos
in bonis rebus. Hæc, non illa nobis comenda-
ta est, Psalmo 131. & alijs locis scripturæ.

Maiorem apud Deum liber- tatem)

Utor mea libertate à Domino Christo ac-
quisita & mihi concessa, ne me in seruitutem
uestram redigatis, mea uos libertas offendit &
irritat, haberem uos magis placatos, si seruili-
ter me uobis subijciens, minus liberè mea uterer
libertate.

Non condemnante te propria
conscientia) Quis te constituit iudicem
conscientiæ meæ? si frater sum tuus, tu quis
es.

es, qui iudicas fratris tui conscientiam? Apostolus ad Titum de obstinatis hereticis scribit, eos peccare ὡς τὰς αὐτοκατακρίτους. Ego mihi nullius heresos conscius sum, non tu me, non Calvinus, non Silicernium, & cadauerosus Ochimus de heresi aliqua conuicistis, nec conuincetis unquam, nisi uobis libido sit me pro heretico damnandi, eò quòd uolentas uestras deprauationes uerborum Cæne non recipio, & Christum in Eucharistie Sacramento præsentem esse negare nolo. Vnde uero scis, unde pronuncias, me à conscientia propria reprehendi? quia scilicet resisto Sacramentarijs modestius: atqui si me reprehenderet, non alijs dissimulantibus me isti tantæ factioni opposuisssem, nec adhuc me opponerem furenti immaniter, nisi bona conscientia in suscepta causa uersarer, & nisi me bonæ conscientie testimonio sustentarem.

Nunc autem cum in huiusmodi animi affectionem, aut perturbationem potius sis prolapsus, ut Christi membra, fratres tuos, ob ueritatis professionem grauissimas persecutio-

tio

tionem perpeſſos, terra marique iacta-
tos, ac uix tandem hic Francoforti cō-
ſiſtentes, & ſedes quietas Dei miſe-
ricordia, & honeſtiſſimi ac piſſimi
Senatus benignitate ſperantes, in
nullo malè de te meritos, obneſcio
quàm nominis tui exiſtimationem
impudenter nimium calumniando
traducere non erubeſcas, & quan-
tum in te eſt, Republica eijcere con-
neris, imò potius toto orbe exclude-
re: quid quæſo aliud de te piſ cogi-
tent, quam cuius calumniando de-
ſiderijs, obſequi uis, eius te eſſe pa-
tronum eius, inquam, qui ab initio
homicida fuit, & in ueritate non ſte-
tit, Eccleſiarum imitem hoſtem et
uaſtatozem, bonæ conſcientiæ re-
pulſorem?

Grauiſſimas perſecutiones per-
peſſos)

*Vos ſancti martyres glorioſè prædicatis ue-
ſtras*

peras cruces, afflictiones, & martyria. Atque
habent etiam Anabaptistæ suos martyres &
plures qui combusti sunt, quàm de uestris pote-
stis nominare, igne absumptos esse. Olim eti-
am Donatistæ conquerebantur, se graues per-
secutiones pati. Atqui respondet uobis Augu-
stinus, Etiam diabolos in toto orbe terrarum
perpeffos esse persecutiones graues. Item. Non
pœnam sed causam facere martyrem: gloriaris
tu quidem afflictiones uobis illatas esse propter
ueritatis professionem: quod tibi tantisper non
concedo uerum esse in Sacramentaria causa,
quoad euiceris firmissimis probationibus alla-
tis ex sacra scriptura, Berengarij & uestrum
dogma à Christi uerbis non disfidere.

In nullo malè de te meritos)

De doctrina inter nos est controuersia, non
aliquid rei mihi uobiscum est de priuatis iniu-
rijs, non de meritis in me siue malis siue bonis.
Mihî displicet, uos de Ecclesia Dei malè mereri.

Calumniando traducere non
erubescas)

Neminem traduco, sed à tuo Polono & Cal-
uino iniuste infamatus meam innocentiam, &
causam

causam susceptam iusta ratione defendo.

E Republica eijcere coneris)

Contagiosa uestra hæresis uos ex ciuitati-
bus eijcit, sicut contagia lepræ ex societate
communi excludunt leprosos, morbi contagio
ex ouili eijcit morbidas oues, leges imperij &
ciuitatum uos eijciunt, non ego. Errores, se-
ctas, & factiones uestras conor eijcere, uel po-
tius magistratus officij sui admoneo, ut eijci-
ant, non aliter quàm Deus iussit, ac necessitas
ipsa fert. Vos defenditis, iurè hæreticos & bla-
sphemos comburi. Cur mihi succenses, qui mo-
deratè coercendos, & à cætu remouendos esse
moneo, ne inficiant synceram partem, quos
pertinacia in erroribus suis tuendis hæreticos
facit.

Quid pñ aliud de te cogitent)

Cogitationes istæ non sunt piorum, non ex
ueritate, sed ex mendacio, non ex Deo, sed ex
spiritu Satanae ueniunt. De malis istis cogita-
tionibus reddes aliquando rationem coram tri-
bunali Christi: non expectato tempore iudi-
cij, quando Dominus reuelabit occulta cordi-
um, ipse prodis malignas tuas cogitationes.

C Cuius

**Cuius desiderio calumniando
obsequi uis)**

Nunquam serias agitis à Diabolico opere calumniandi, & quod facere non intermittitis, ipsi in alios confertis, dum alios iudicatis ex uestro ingenio & factis.

Eius te esse patronum)

Hæc ne est fraterna tua dilectio? hæc ne tua singularis humanitas & comitas? tam te-
tra mendacia & atrocía maledicta congerere in innocentem? pro fratre ne diligis quem horribiliter calumniaris esse Diaboli patro-
num, Ecclesiarum hostem & uastatorem? uos ne estis tales fratres? unde queso induces ali-
quem probabilem colorem ueri, ut uel ami-
ci tui ualde creduli, diris tuis criminationibus aliquid fidei habeant? Admonui magistra-
tum de suo officio, idem ante fecit D. Luthe-
rus: in memoriam reuocaui Epistolam scri-
ptam ab eo ad Senatum Francofurtensem, ad illam Epistola mea remittit: ideo ne debeo audire, & quisquam tibi credere, me patrociniari Diabolo, me uastare Ecclesiam? Nun-
quid uir sanctæ memoriæ D. Lutherus fuit pa-
tronus

tronus Diaboli, nunquid Ecclesie uastator?
cum idem suaserit in eadem causa, quod ego
suasi? Nunquid magistratus & principes pa-
trocinantur Diabolo & uastant Ecclesiam,
quia ab aris & focis repellunt Sacramentarios?
Apostolus Ioannes, prohibet recipere in do-
mum, qui non adferunt sanam doctrinam: co-
gitabit ne ergo tua pietas eum esse hostem &
uastatorem Ecclesie? Quam uero dicis Eccle-
sia? nonne malignatum, nam Ecclesiam Chri-
sti nos odisse & uastare, non ante probabis,
quam euiceris, nostram doctrinam de Christi
sacra cena ex diabolo esse, uestram illam Cin-
glianam ex Deo.

In ueritate non stetit)

Spiritus uester non stat in ueritate Christi di-
centis: Hoc est corpus meum. Stat autem in menda-
cio Cinglij dicentis: Hoc significat corpus meum.

Conscientiae repulsorem)

Sanctus Paulus 1. Timoth. 1. grauissime admo-
net Timotheum, ut habeat fidem & bonam
conscientiam, & addit, quosdam eam repu-
lisse, & circa fidem naufragium fecisse. Haec
uerba in me detorquet aduersarius, & ex

C 2 sublimi

sublimi suo tribunali me damnat, pronuncians
quod repellam conscientiam, & naufragium
faciam fidei: utinam autem in se descenderet,
& suūpsius iudex, suam examinaret conscien-
tiam, suasq; res proprias discuteret. Quod si
faceret, uereor, ne in seipso inueniret notas,
quas circumferunt repulsores conscientie bo-
ne, fidei naufragium passi. Apostolus ibi no-
minat duos, qui excussa conscientia naufragi-
erant circa fidem, quos scribit se tradidisse Sa-
tanæ, ut discerent, non blasphemare. Atten-
dis ne uestram sectam, quasi digito monstrari,
cum repulsores conscientie hac nota designat,
quod sint blasphematores? Vestri libri scripti
aduersus doctrinam de corporis Christi præ-
sentia in Eucharistie Sacramēto diffuunt bla-
sphemij. In eodem capite describit Apосто-
lus proprias notas repellentium conscientiam
& aberrantium à fide, ait, eos deflexisse ad
uaniiloquium, uelle esse legis doctores, non au-
tem intelligere, de quibus loquuntur & asse-
uerant.

Nonne uides & his proprijs notis expres-
sos esse Cinglianismi propugnatores, suo uani-
iloquio insipnes in disputationibus suis ex di-
ametro

metro oppositis uerbis Christi, in suis opini-
onibus præfractos, incertos tamen dubios &
ignaros, de quibus asseuerent? Repulsores cō-
scientiæ fidem amittunt, fidei autem iacturam
faciunt, qui discedunt à manifesto uerbo Dei, et
inherent ratiocinationibus & dictatis huma-
næ sapiētiae. Ex hac quoq; nota dijudices, quos
uerè accuses repulsores esse conscientiae bo-
næ, cum discedatis à claris uerbis Christi, &
sequamini magisterium stultæ rationis in scru-
tandis arcanis mysticæ Cænæ. Inuitus aliquid
de me dico, ne uobis acerbis reprehensoribus
dem ^{ansam} aliquam me calumniandi de arro-
gantia & inanis gloriæ studio: & tamen co-
gūt me uestre atroces accusationes testari me-
am innocentiam, & de mea conscientia respon-
dere, ut tuas criminationes retundam. Scio
quantus sit thesaurus conscientia bona, quan-
tum malum conscientia mala, uideo quàm se-
pe Apostolus appellet ad testimonium consci-
entiæ, quàm diligenter eius retinendæ curam
& studium omnibus pijs commendet. Insonat
auribus meis & cordi, subinde illius hæc ad-
monitio: habeto fidem & conscientiam bonā,
Et illud Apostoli Ioannis. Si cor nostrum non

C 3 condem-

condemnet nos, fiduciam habemus erga Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, ideoque tanti boni tam necessarij in quotidiana inuocatione, non negligenter curam me habuisse, & habere, inimicum testem et cordium inspectorem Deum, apud quem nobis opus est bona conscientia, appello, et deprecans iactantiae suspicionem affirmo, me in his cribrationibus Antichristi & multorum fluctuationibus, neglectis quibusuis rebus huius uitae, sollicitum fuisse de bono conscientiae recte custodiendo, & fructum etiam eius percepisse, non mediocre letitiam & consolationem ad lenienda mala perturbatissimorum horum temporum. In controversia Sacramentaria ita per Dei gratiam uersatus sum & uersor, quod plus mecum disputauit, & scrupulosius argumenta contraria obieci mihi, quam ab aduersarijs opponi & urgeri queant, atque adhuc indies mecum discepto, obiecta argumenta discepto penitus, & tamen non inuenio, quod labefactet, sed potius quod confirmet meam sententiam & fidem. Haec de me scribendo metas iustas excedenti ueniam dabit candidus lector, considerans inuitabilem necessitatem, quae extorquet mihi Apologiani aduersus
accus

accusatorem durissimum, & reputans quam
grauia haec sint, accusari patronum Diaboli,
uastatorem Ecclesiae, conscientiae repulsorem:
quam uero iustum notoria illa crimina depellere.

Nec enim aliud quiuis pius &
doctus iudicare potest, in Christo
dilecte Ioachime, quam non eius,
qui spiraculum uitae inspirat, sed
serpentis antiqui potius afflatu es-
am, quam tu ad Francofordiensem
Senatum dedisti conscriptam esse
epistolam, in qua nos exteros, ut la-
trones, incendiarios & ueneficos
insimulas, ut qui animos hominum
falsis dogmatibus iugulemus, Chri-
sti Ecclesiae haereseum ignem subij-
ciamus, salutaris doctrinae fontes
& pascua letali, & pestifero pernici-
osorum errorum ueneno inficiamus.

Nec aliud quiuis doctus & pi-
us iudicare potest)

Cōcedo de quibusuis doctis apud Cinglianos in
schola Caluini edoctos quos tu pro doctis habes

et admiraris. Memineris autem esse, qui sunt
docti in regno cælorum, qui aliter iudicant.

In Christo dilecte)

Audi quæso Apostolum Ioannem monen-
tem, ne lingua et uerbis diligas, sed factis. Di-
lectio non consistit in una atq; altera blanda
appellatione, quod aliquem uocas fratrem
dilectum. Vera caritas non fert falsum testimo-
nium, non iudicat et damnat dilectos fratres.
Dilige me uerè in Christo, et mecum illius uer-
bis crede.

Serpentis antiqui afflatu)

Postquam aspersisti paululum dulcioris cõ-
dimenti, iam absinthium propinas, et das fel
melle nonnihil conditum, Puteus non simul fun-
dit aquas dulces et amaras: Tu ex uno ore
simul amarum et dulce fundis. Ebullit ex pu-
teo mali cordis, quod maligno spiritui ascri-
bis admonitionem quam est spiritus Dei. Epi-
stola mea ad Senatum Francofordiensem scri-
pta est ex afflatu eius spiritus, qui organum
Dei D. Lutherum gubernabat, cum suam E-
pistolam monitoriam eiusdem argumenti ad
eum scriberet: ex instinctu spiritus, quo bea-
tus

us Ioannes afflatus prohibuit, ne recipiamus
in domum eum, qui non affert sanam doctri-
nam, p̄i; principes & magistratus in his re-
gionibus suis subditis interdixerunt, ne Ana-
baptistas et Sacramentarios ad se receptent,
& scientes foueant. Authorem habet eius spi-
ritum qui dixit, Qui aliunde ascendit, fur est
& latro.

Nos exteros)

De Polono eiusq; discipulis præcipuè de
ducibus cæcorum scripsisse me fateor. Si qui
sunt inter peregrinos à uestris contagijs immu-
nes & puri, hos exceptos, scripta mea non at-
tingunt.

Latrones, incendiarios, & ue- neficos infimulas)

Imo his tanto peiores, quanto nocentiora
sunt latrocinia, incendia & ueneficia falsa do-
ctrinae, quàm Latrocinia & uenena, quæ læ-
dunt externam uitam et corpora interficiunt.
Etenim à minori procedit mea argumentatio,
qua utor in illa Epistola. Magistratus est, in
latrones, incendiarios et ueneficos animadu-
tere, multo magis ad eius officium pertinet, ob-
sistere

magistratus offi-
cium.

C s sistere

sistere falsis doctoribus, qui illis multo sunt nocentiores.

Nec tamen quicquam horum probas, sed unius tantummodo dogmatis meministi, in quo quodam te dissentiamus, ex hoc tales nos haberi uis.

(Nihil horum probas)

Ego uero probaui, tum in alijs libellis tum in ipsa Apologia, cui præmissa est Epistola de dicatoria ad Senatum, quod Sacramentarij sunt falsi doctores, uobis nullæ satisfaciendi probationes, nihil uobis probatum est, etiamsi mille quis easque firmissimas attulerit probatiões.

(Unius tantummodo dogmatis meministi)

Artificiose dissimulas, reprehendi, in eadem defensione continuo subsequente Epistolam, dogma Stenckfeldij de ministerio uerbi.

De Baptismo extat liber, Sacramentarium et Anabaptistarum errores ex professo refutans. Preterea inuenias, si obseruare non pigeat multos crassos errores in libris impuri hominis Ochini et aliorum Sacramentariorū, quos

quos si isti peregrini approbant, non in errore
unius tantummodo dogmatis haerent cōstricti.
Vnum illud prauum dogma de Eucharistia ui=
deris uelle extenuare & dicere, ut uestri so=
lent, non esse articulum fidei, propter hoc ne=
minem debere pro haeretico haberi. Non igno=
ras autem, errorem in uno falso dogmate de=
fensum, haereticos facere, & soluentem unum
lota de uerbo Dei, minimum uocari in regno
caelorum. Non te latet, multos haereticos iudi=
catos esse ob unius erroris pertinacē defensio=
nem, ac plerosq; omnes ab uno errore incepis=
se, progressos uero esse & prolapsos in multa
deliria, quod de Cinglio uestro eiusq; secta pro=
bare nō difficile est. Verissime scripsit D. Chry *Chrysostronij.*
sostomus in epistolam ad Galat: eum totā do=
ctrinam corrumpere, qui in minima particula
subuertit, nam modicum fermenti totam mas=
sam corrumpit, & S. Ambrosius ad Demetria *Ambrosij*
dem uirginem, alienum esse à numero fideiū
& à sorte sanctorum, qui in aliquò à Catholi=
ca ueritate dissentit.

Quod à te dissentiamus)

Hec ita dicis, quasi defendam solus cū pau=
cis mihi addictis dogma aliquod, nuper à me
exco=

excogitatum, de quo inter nos sit dissensio, & non uerius dissentiat à doctrina filij Dei, & tota eius Ecclesia.

Est autem id de præsentia corporis & sanguinis Christi Iesu Domini nostri, in sacro sanctæ Cœnæ mysterio. In quo primum euidens rem iniuriam nobis facis, dum nos aliter loqui aſſeris.

Nos experientia magistra, insignibus aliquot documentis de uestri sodalitiij hominibus, & recenti exemplo deprehensi ueteratoris cuiusdam, hoc semestri, didicimus, uerum esse illud Trenei.

Treney

Hereticos aliud sapere, aliud loqui. Nota est historia, quid fecerint Ariani, qui cum Catholicis subscribebant manu non corde, frustra remouere conaris à uobis istos dolos et fallaces occultationes: ore & uerbis sonatis, uos sentire cum Augustana confessione, cuius doctrinam max. oppugnatis in articulo de Eucharistia. Recitatis uerba usitata nostris, corpus & sanguinem Domini manducare in dominica cœna, & tamen non intelligitis uerum

cor

corpus Christi, quod ablegatis & seponitis in
unum locum Cæli. Quidam uestri ordinis po-
stulant expungi, quod ad corpus additur Epi-
tethon, Verum, dictitant, uerbo Dei nihil ad-
dendum esse: nostros adiecisse de suo, ut dice-
rent uerum corpus. D. Lutherus scribebat
ad uestrum Senatum, esse insidiosos occultato-
res Francofurti, qui musitarent, nec ingenue,
quid de Cæna Domini sentirent, proferrent:
si is iniuriam fecit astutis Sacramentarijs, con-
donabis illi pro tua mansuetudine hanc iniuri-
am, & omittes istam querelam, quod uobis à
me insignis iniuria facta sit. Cæterum hæc tua
epistola documentum præbet, te aliud loqui
& aliud sentire, dilectum me uocas fratrem in
Christo. Si ita ex animo uerè de me sentis,
quid traducis me pro imitatore draconis, pro
calumniatore, pro uastatore Ecclesiæ? si sen-
tis me talem esse, quid blandiris appellatione
dilecti fratris? quomodo frater sum, si imita-
tor draconis? quomodo uastator Ecclesiæ, si
tuus frater?

Etenim non ore solum confite-
mur, sed etiã corde credimus, Cœ-
nam

nam Domini esse sacram actionem
diuinitus institutam, quæ non ha-
bet rationem Sacramenti extra u-
sum, & qua rebus terrenis & uisi-
bilibus propositis ad cœlestia at-
que inuisibilia nos Dominus sub-
uehit.

Cœnam Domini esse sacram
actionem)

Sacramenta actiones esse, inter nos conue-
nit. Atqui corpus significare actionem, ut tu-
us Polonus commentatur, id non recipio. Man-
ducatio actio est, quæ se habet relatiuè ad ali-
quid. Cum sit Cœna hoc Sacramentum, in qua
conuiu. e Christi edunt & bibunt, et ille nō ua-
cuam Cœnam apponat, oportet cibum & po-
tum adesse. Cibus autem & potus in illius sa-
cro conuiuio, sunt corpus & sanguis eius, quæ
exhibentur cum pane & uino. Manducatio igi-
tur non est solius panis & uini, sed etiam cor-
poris & sanguinis Christi, Duæ namq; res ad-
sunt, ut Ireneus inquit, altera terrena, panis et
uinum, altera Cœlestis corpus & sanguis Do-
mini. Vos dicitis, Christum adesse & pascere
sua

3. reney.

sua diuinitate & uirtute : nos credimus etiam
carne & sanguine coniunctis cum uerbo adesse
& nos reficere.

Quod cœna Domini non ha-
bet rationem Sacramenti
(extra usum)

Neq; hoc inter nos controuersiam facit,
dummodo usum intelligas legitimam administra-
tionem cœnæ sacræ, secundum institutionem
Christi, & inter rem ipsam et eius usum distin-
guas, nec alterum cum altero commisceas, cor-
pus & sanguinem non definias esse ipsum ri-
tum manducandi panem, & bibendi uinum, &
usum ipsum fidei, quod commemorent commu-
nicantes mortem Christi, & gratias agant pro
eius beneficijs, uel quod fide solummodo perci-
pian fructus passionis Christi.

Ad cœlestia atq; inuisibilia
nos subuehit)

Inter hæc cœlestia & inuisibilia expresse
poneres Christi corpus & sanguinem: alioqui
ambiguum sermonem inducis, & nos relegas
supra nubes, ut ibi solum quæramus cœlestia,
non in terra, ubi Cœna Domini peragitur,
quæramus

quæramus præsens Christi uerè illud cœleste
corpus, & uiuificum eius sanguinem. Id innu-
is uerbo subuehendi, quod localiter usurpas,
ut postea sequitur tua declaratio.

Item credimus esse pignus & te-
stimonium gratiæ, quod de promif-
sione & tota redemptione commo-
nefacit, & ostendit beneficia Euan-
gelij ad illos pertinere, qui eo ritu
utuntur.

Credimus esse pignus)

Quodnam, dic, illud pignus est? Nunquid
panis & uinum? nunquid signa representati-
ua rerum absentium, uunquid sola promissio
annexa? Imo quoq; uera caro Christi, & præ-
ciosus eius sanguis?

Ostendit beneficia Euangelij)

Coaceruas dictata ab alijs, et promiss con-
cepta uerba, ut tegas te sub umbra magni no-
minis, nosq; prægraues, si uideamur alicubi re-
fragari.

Eo ritu utuntur)

Et dignè accipiunt cibum corporis, & po-
tum sanguinis Domini.

Cre-

Credimus etiam esse uinculum
& notam publicæ congregationis,
qua Deus suam Ecclesiam ab alijs
discernit.

Reuerenter autem ad eam ac-
cedendum esse dicimus, cum ibi
testimonium exhibeatur mirandæ
societatis Domini & fumentium,
& in ea inclusa sit promissio de con-
seruanda Ecclesia, cum iubemur
annunciare mortem Domini, do-
nec ueniat.

Mirandæ societatis)

Adde, præsentie Christi.

Credimus præterea eam prodes-
se ad conseruationem memoriæ be-
nificiorum à Christo acceptorum,
& per eam nos confirmari, ut sta-
tuamus ad nos pertinere beneficia
Euangelij, & Christum hoc fœdus
nobiscum facere: Manete in me,
& ego in uobis.

D

Ad

Ad nos pertinere beneficia)

Imo etiam fidelibus cum corpore & sanguine Christi ea distribui & applicari, omittis enim applicationem beneficiorum Christi.

Christum nobiscum hoc fœdus facere)

Adde per communicationem suæ carnis nos sibi incorporare, ut unum corpus fiamus cum ipso.

Item Credimus esse confessionem qua ostendimus, quod doctrinæ genus amplectamur, & cui cœtui nos adiungamus: & est etiam uinculum mutuæ inter nos beneuolentiæ.

Non ostendis certè, uos amplecti genus doctrinæ notum in Ecclesijs, in quibus hospitia occupatis, & uos adiungere in unitate spiritus seu fidei illi cœtui, qui profitetur puram doctrinam de Eucharistia, de Baptismo, & plerisque rebus alijs.

Est etiam uinculum beneuolentiæ)

De finibus Eucharistiæ non est quæstio, sed
de re ipsa, quis sit Cibus et potus in illa sacro-
sancta cæna.

Adhæc, credimus oportere ac-
cedentes adferre conuersionem, &
ibi quærere confirmationem suæ
fidei, ita tamen, ut non existime-
mus propter hoc opus remitti pec-
cata.

Confirmationem fidei)

Vester Ochimus negat Sacramentis con-
firmari fidem, & opponit illud Pauli. Con-
firmati & obsignati estis spiritu Dei.

Postremo credimus uerè uten-
tes hoc Sacramento uerum cor-
pus & sanguinem Christi sumere,
non in perituum uentris cibum,
dentibus conterendū, & in uentri-
culo concoquendum, sed in æter-
næ uitæ alimoniam. Instructo es-
nim spiritali epulo, se panem esse
uiuificum, Christus restatur, quo

D 2 animæ

animæ nostræ ad immortalitatem
pascantur.

**Verum corpus & sanguinem
sumere)**

Aliquis non abs re miretur, cur sumptionem corporis Domini distuleris in ultimum locum, ac prius recensueris fines seu effectus Eucharistiæ, cum ordine prior sit res ipsa, & deinde rei finis seu usus, & Dominus ipse prius dixerit de cibo corporis sui edendo, postea de fine: fortasse hoc subest, quod enumeras prius fines, ut inde definias, quid sit edere corpus Christi, et tamen id ab hac cæna longe remoueas ac releges in unum locum cæli, quod paulò post facis: proinde adiunxisti hæc uerba, uerè utentes Christi sumere corpus, Sumi hoc ab indignis uis negare per particulam uerè, non sumunt quidem uerè, id est, dignè & efficaciter in æternæ uitæ alimoniam, nihilominus accipiunt uerè quoad ueritatem præsentis corporis & sanguinis Christi, quamuis sumant ad mortem.

**Non in perituum uentris
cibum)**

Talero

Talem cibum uos dari contenditis in Christi
cæna, unde tollitis præsens corpus Christi
& sanguinem eius, & relinquitis panem & ui-
num. Etsi autem corpus Christi unitum cum *corp9 chri nõ*
diuinitate, non sit corruptibilis cibus uentris *& corruptibilis*
& in uentriculo non concoquatur, nec conco- *ciby*
qui possit modo aliorum ciborum: tamen cor-
pus eius uerum ore sumitur, & eo uescuntur
corpora nostra, ut inquit Tertullianus, &
quanquam Cibus ille ore sumitur, tamen ut de-
lij uulgares cibi non consumitur.

Quæ uero impugnanda cense-
mus hæc sunt: Panem & uinum in
corpus & sanguinem transsubstan-
tari: Corpus Domini sub terrena
& corruptibilia huius mundi ele-
menta detrahi, aut illis alligari atq;
affigi, in spiritum esse uersum, plu-
ribus simul locis sisti, aut immen-
sam illam magnitudinem affingi,
quæ partim cum cœlesti eius glo-
ria pugnant, partim ueritatem hu-
mani corporis auferunt.

D § Corpus

Corpus Domini sub terrena
elementa detrahi)

Filij Dei ordinationem & uerbum consi-
deres, non respicias sola elementa terrena, ne
indignum reputes, corpus Domini dari cum
terrenis rebus, placuit illi rem cœlestem per
terrenam dispensare, ne tibi displiceat, filius
Dei carnem nostram assumpsit, quæ de terra
est. Constant & corpora nostra de terra, ne
ideo neges filium Dei carnem nostram assum-
psisse, & corpora nostra immortalia futu-
ra,

Detrahi aut illis alligari
atq; affigi)

Hæc peruersè & malignè affingitis nostræ
doctrinæ, studio de formandi eam apud exte-
ros, qui non audiunt nos, neq; legunt nostrâ
scripta, Detrahi localiter sonat, quasi deor-
sum de cælo in terram trahi. Quis unquam
inter Papistas, nisi fortasse aliquis derisor,
sic locutus est? Derisoria & blasphema uer-
ba te delectant: Cur non scribis, Domini
corpus distrahi, cum per totam Ecclesiam in
communione Cœnæ dicamus adesse & man-
duco

ducari? Quomodo potest alligari & affigi
corpus, quod semel propter nos perditos pec-
catores alligatum & affixum Cruci, expers
nunc est passionis, liberum à uinculis & mor-
te: quod non amplius affigitur & moritur?
liberrimam uoluntate instituit suam cœnam, li-
berrimam uoluntate abq; affixione & uincu-
lis exhibet corpus suum & sanguinem præ-
sentem. Cur autem uos diuinum & super
omnes cœlos exaltatum corpus alligatis, &
affigitis uni loco cœli? Putatis ne multum
interesse, cœlo, ne includatis, an pani includi
dicatis? quanquam nos nec ibi nec hic inclu-
di dicamus, quod ad Dei dexteram sedere con-
fitemur.

In spiritum esse uersum)

Quorsum attinet talia scribere, nisi ut nos
suspectos reddas, quod sentiamus Christi car-
nem in spiritum mutatam esse? nos uero non
affirmamus corporis in spiritualem substan-
tiam mutationem, sed ex scriptura asseri-
mus, corpus esse spirituale. Apostolus scri-
bit, quod nostra corpora erunt in altera uita
spiritualia, quanto magis Christi corpus cre-
dimus esse spirituale, quia corpus est diuini

equalia habi-
turi sumus
postea in alte-
ra uita.

D 4 Spiri-

Cyrcilly

Spiritus? De renatis per Baptismum Christus inquit, quod natum est ex spiritu, spiritus est, quanto magis quodammodo spiritus est corpus Christi? Cyrillus uerba Domini Ioan. 6. Spiritus est, qui uiuificat, qui Cinglius & Ochinus opponunt carni Christi, quam impiè negant quicquam prodesse, exponit de eius corpore lib. 4. in Iohannem cap. 4. dicens. Totum suum corpus uiuifica uirtute plenum esse ostendit, spiritum enim, hic ipsam carnem nuncupauit, non quia naturam carnis amiserit, & in spiritum sit mutata, sed quia summe cum eo coniuncta uiuificandi uim hausit.

Pluribus locis sisti)

Bonus & misericors Dominus, pro suo in nos amore ultro offert, sistit & exhibet se totum nobis presentem: non ab angelo, non à sacerdote, aut ulla creatura sistitur.

Immensam magnitudinem affingi)

Vestrum figmentum est, Christi corpori affingi à nobis immensam magnitudinem, quasi sua quantitate per diuersa loca suis spacijs longius distita extendatur, ut multis uno tempore

pore sufficiat, Integrum adest singulis, totum
sumitur, non per partes diuiditur, facessant i-
gitur aliquando uestræ carnales & crassæ istæ
geometricæ imaginationes.

Cum cœlesti eius gloria pug-
nant)

Falso prætexis gloriam Christi, interim
detrahens gloria eius, qua pleni sunt cœli &
terra, Corpus eius in unum tantum locum cœli
seponis, contradicis sermoni eius, adimis ueri-
tatis & omnipotentia gloriam, adeo scilicet
sollicitus es pro amplificanda gloria Christi.

Auferunt ueritatem humani
corporis)

Nostra doctrina tam non aufertur ueritas
corporis Christi, quam non tollit eam, quod
Ecclesia Catholica credit, Christum tactu sui
corporis, mortuos excitasse, corpus eius exal-
tatum super omnes cœlos, ubiq; sedere ad de-
xteram Dei: Christum omnipotentem effice-
re, ut sint, quæ esse dicit, tametsi legibus natu-
ræ contrà ire uideantur.

Nos autem credimus, Domi-
num Iesum Christum, & corpus

D S suum

suum ex hoc mundo in cœlestem
gloriam subuexisse, & illud ipsum
corpus proprietates humanæ na-
turæ, ueri nimirum corporis retinere,
quod carnem & ossa habeat,
& uno aliquo loco contineatur,

Ex hoc mundo)

Ex huius mundi animali & mortali uita,
ex passionibus, ex ignominia, ex angustijs &
tribulationibus Christus introiuit in gloriam
suam ad uitam immortalem: non abstulit ta-
men corpus suum ex cœna instructa non uul-
gari cibo & potu solius panis & uini, sed cor-
pore & sanguine suo.

In cœlestem gloriam)

Cœlestis gloria Christi non redigitur in lo-
corum angustias.

Retinere proprietates huma-
næ naturæ)

Distingue proprietates huius & alterius
seculi, animi illis, spiritualis & cœlestis uitæ,
corporis non coniuncti cum diuinitate, & cor-
poris

poris ineffabiliter in una persona cum ea con-
iuncti, corporis non sedentis ad Dei dexte-
ram, & corporis, quod exaltatum sedet ad
dexteram Dei. Multum interest inter has pro-
prietates, & falsissime asseritur, Domini Chri-
sti corpus retinere omnes proprietates. Ne no-
stra quidem omnes, quas nunc habent, retine-
bunt.

Quod carnem & ossa habeat)

Hoc nos quoque credimus: negamus autem ^{carnem ob quam Chrs}
consequi, quod tu vis inferre, ideo corpus Do- ^{nō sit in eucharis-}
mini non esse in Eucharistia, quia sensibiliter ^{stia p̄ ut uult cal-}
carnem & ossa non percipimus, Dominum ^{ving.}
clarificatum in monte, nec uidere nec palpa-
re potuerunt discipuli, & tamen habebat car-
nem & ossa. Quod se post suam Resurre-
ctionem praeuit uidendum & palpandum, di-
spensationis erat: alioqui imbecillis uisus o- ^{imbecillis uisus o-}
culorum intueri illius claritatem nō potuisset. ^{loxe claritate Domini}
Accedo enim Chrysostomo scribenti in Ioan- ^{intueri nō p̄}
nem Ho: 8 & haec uerba. Dignū dubitatione est, ^{Chrysostomus.}
quomodo corpus incorruptibile firmam clauo-
rū acceperit, & mortali manu tangi potuerit.
Sed hoc te nō perturbet. Hoc enim permissionis
fuit,

*Corps tenuè & leuè
Sabit Corp qd
oi crassitudine ca
ruit.* fuit, corpus enim tam tenuè & leuè, ut clausis
ianuis ingrederetur omni crassitudine care-
bat, sed ut resurrectio crederetur talem se ex-
hibuit.

Vno aliquo loco contineatur)

Alterum seculum nec loco nec tempore,
nec talibus rebus alijs circumscribitur.

Necq; illud corpus in terris esse
quærendum dicimus: necq; ut eius
simus participes ipsum de cœlis esse
se deuocandum.

Necq; corpus illud in terris esse
se quærendum)

*veri corporis est
Pleniã negat
Caluiniã.*

Obserua lector, negari expresse ueri cor-
poris Christi præsentiam & sumptionem, &
corporis uocabulum inculcantes Sacramentari-
os, non uelle intelligi uerum Christi corpus.
Disertè negat illud quærendum esse in terris,
quod subuectum est in cœlestem gloriam. Vbi
ergo quærere debemus? In cœlo supra nubes.
Atqui nos in terra uersamur, in terra peragi-
tur sancta Cœna, Dominus Iesus dicit, se hic
nobiscum esse, hic distribui panem & calicem,
hic iubet edere cum pane corpus suum, & bi-
bere

bere ex calice suum sanguinem. Super terram ergo in cœna ab ipso instituta quærimus, inuenimus, accipimus, edimus præsens eius corpus, et bibimus eius sanguinem. Non quidem in terra quærendum est, corpus eius in uno aliquo loco, sensibile, palpabile, uisibile, nihilominus communicat nobis uerum suum corpus modo non sensibili, non physico, non sensibus exposito et comprehensibili.

corpus Christi non quærendum uisibile sensibile et palpabile in terra

E cœlis deuocandum)

Vana uos cura exercet de corpore è cœlis deuocando, dum in uno altiore loco ita collocatis, ut nusquam alibi esse possit, nisi pro uestra imaginatione, localiter descendat de cœlo in terram. Nimis crasse ex Capernaitarum ingenio stultiloquium uestrum pro magna sapientia, et adorandis mysterijs diuulgatis.

Rationes uero cur hæc ita se habere credamus, plurimæ nobis sūt in promptu, quarum aliquot tibi recensebo. Ac primum quod ad Transsubstantiationem attinet, eam prorsus amitto, quod is error à beas

beatæ memoriæ Viro D. Luthero
fœlicissime sit iam pridem explo-
sus. Reliqua cur non admittamus,
mox patebit.

Fœlicissime iam pridem ex-
plosus)

Infœliciter uero reliquit inexpugnatam,
imò defendit usq; ad extremum uitæ doctri-
nam de uera præsentia ueri corporis Christi
in sacra Cæna: & stabiliiuit neruum idolo-
latriæ, ibi adorationem panis sustulit, hîc
απολατρείαν restituit & confirmauit, ut
inuietus ille expugnator idolatriæ à tuis soda-
libus infamatur.

Marcus ultimo capite sic loqui-
tur: Ac Dominus quidem post-
quam locutus est ἀνελήθη, sursum
assumptus est in cœlum, & sedit à
dexteris Dei.

Lucas adhuc clarius hanc rem
nobis aperit, his uerbis: Et factum
est postquam Benedixisset eos,
διέση ἀπ' αὐτῶν, recessit ab eis, καὶ
ἀγέ-

ἀνεβήτε το εἰς τὸν οὐρανόν, & sursum fe-
rebatur in cœlum. Sed omnium
clarissime. Act. I. cap. Cum hæc,
inquit, dixisset, uidentibus illis sub-
latus est in altum, & nubes sub-
duxit illum ab oculis eorum. Cum
que essent defixis in cœlum oculis,
proficiscente illo, ecce, duo ui-
ri astitere illis in uestibus albis, qui
& dixerunt: Viri Galilæi, quid
statis intuentes in cœlum? Hic
Iesus, qui assumptus est à uobis in
cœlum, sic ueniet, quemadmo-
dum uidistis eum euntem in cœ-
lum.

Sursum assumptus est in
cœlum)

*Coaceruas multas scripturas, quæ neque
quod tu assumis, et mox infers probant, neque
quod nos asserimus impugnant aut labi fa-
ctant. Sæpius iam responsum est ad il-
la uestra detorta, ac uulgata commenta,
quæ*

que affingitis citatis locis, at qui stultus non audit, nisi dixeris ea quae uersantur in corde eius. Vrges has locutiones, Sursum assumptus est. Sursum ferebatur, sublatus est in caelum, inheres uoculae sursum, quam exponis localiter, sed quid amplius efficis, quam Christum in caelum sursum ascendisse, quod etiam ex Catechesi pueri sciunt? Minime uero potes inde hoc efficere, quod panis S. Cænae non sit corpus Christi, quod caro eius non dispensetur & sumatur in communionem Eucharistiae. Non antè ista obtinebis & persuadebis nobis, nisi demonstraueris bona fide, non detortis uolenter sententijs scripturae, ascensionem Christi rectè opponi his uerbis: Hoc est corpus meum, has locutiones, Sursum assumptus est in caelum, Sursum in caelum ferebatur & similes, rectè in Theologia exponi, tantum de altitudine & distantia loci, non de glorie altitudine. Christi ascensionem in caelum nihil aliud esse, quam illam uisibilem quam Apostoli uiderunt suis oculis, cum ferretur sursum in caelum: Exaltationem eius nihil aliud esse, quam corpore sursum localiter in caelum assumi, & alicubi localiter in caelo collocari, cum Mar-

cus

Sri ascensio

Sri exaltatio

eus addat, Sedit ad dexteram Dei Patris, & passim scriptura doceat, quid sit ascensio & exaltatio Christi inuisibilis, cuius externa & localis illa quoddam inditium & testimonium fuit, preterea petimus à uobis edoceri, an angeli uerba: Sic ueniet, non magis sint intelligenda de reditu Christi in gloria, quam de sola forma uisibili humanæ naturæ, cum quidem ascenderit in clara nube adeo fulgente, ut Discipuli suspicientes in cælum, Dominum sublatum ex oculis, amplius uidere non potuerunt, & cum dictum sit à Christo: Videbunt filium hominis uenientem in gloria & maiestate sua, an putetis corpus Christi, adeoque Christum ipsum non aliter in cælo esse, quam in terra erat ante ascensionem, & Apostoli uiderunt eum ascendentem prout capere potuerunt imbecillitate uisus, cum longe aliam ostenderit gloriam in monte, quam cuius uisus oculorum capax esset.

De his iusta ratione à uobis edocti, parati erimus amplius respondere. Eò priusquam te accingas, illud insuper à te quero, cur obliquis oculis uideas uoculam, Sursum, & non rectis oculis inspicias, quod scribit Lucas in histo-

E ria

*Sic invisibiliter
p[re]s[ent]es & o[mn]i[um] ho[m]i[nu]m.*

D. Ambrosij.

ria ascensionis: Nubes subduxit eum ab oculis eorum. Item: Sic ueniet, quemadmodum uidistis eum in caelis, unde non male colligitur, Lucam describere uisibilem Christi ascensionem, et indicare, etiamsi uisibiliter abierit Christus, & uisibiliter uenturus sit in fine mundi, tamen inuisibiliter praesens cum sua Ecclesia impleat illud, quod dixit, Ego omnibus diebus uobiscum sum. In quam sententiam beatus Ambrosius in expositione Euangelij Lucae, praecclare scripsit dicens. Quando reuerteris Domine nisi in die iudicij? Nam licet ubique sis semper, & stans in medio nostrum, non cernaris a nobis, erit tamen tempus, quo uniuersa caro aspiciet te uenientem. Audis ne Dominum Iesum Christum ubique semper adesse, & stare in medio nostrum, licet non uideatur a nobis: & tempus futurum, ut omnes homines uideant eum?

Apud Iohannem habemus Dominum ἀπελθῆν, ab ἡσθε, πορευθῆναι, profectum esse, οὐκ εἶναι ἐτι τῷ κόσμῳ non esse amplius in mundo.

Apud Iohannem habemus, Dominum

minum abiisse, non esse in mundo.)

Aliàs inducitis tropos & figuras, ubi standum est uerborum proprietate & ea reluctatur uestræ opinionioni. Aliàs relicta genuina sententia, uerbis, ut sonant inheretis. Aliàs cōtenditis, sensum uerborum considerandum, non τὸ πῦτον urgendum, nunc tecum dissidens diuersum facis. In uerbis Christi dicentis, se abire ad patrem, se relinquere mundum, præcise premis τὸ πῦτον, nec cogitas, totum Christum nobis auferri, si uerba exponenda sint, ut sonant. De tota enim persona sonāt illa dicta, non tantum de carne seu de humana natura. Hereticus aliquis aut gentilis poterit pertinaciter niti literalis sensu, & negare Christum nobiscum esse, eò quod dixerit, se reliquisse mundum & iam non esse in mundo. Confugies ad tropum dicturus, Corpore non est in mundo: ille ex aduerso instabit, dicet, te de tuo hoc afferre, Dominum non dixisse, Corpus meum relinquit mundum, caro mea non est in mundo, sed ego relinquo mundum, Ego iam non sum in mundo, Ne nos quidem concedemus

E tibi.

tibi, ut sic eludens, assertionem tuam astruas
uerbis Christi, quamuis concedamus quodam
modo Christum reliquisse mundum, & quaz
dam ratione corpore suo non esse in mundo.
¶ mo Deo in mundo. Dominus loquitur de eo modo, quo per tem=
pus sue dispensationis & humiliationis præ=
sens erat in mundo, quo modo Discipuli habe=
bant, & habere cupiebant præsentem. Isto
modo Christum non esse in mundo, cum nemi=
ne certamus. Alio autem modo non præsen=
tem esse, quo placuit ipsi adesse in S. Cæna, &
suum corpus ac sanguinem uerum impertire
nobis, de ea re dimicamus, ac consequi nega=
mus, si quis contendit Christum aliquo modo
corpore suo absentem, omnino abesse etiam
à S. cæna. *¶ Quid sit Christum abijisse ad paa=
rem, quid reliquisse mundum, & iam non esse
in mundo, age, explica nobis, affer ueram in=
terpretationem ex Euangelistis, nam si ex
tuo sensu sumas, & definias nihil aliud esse,
quàm localiter discedere, de loco inferiore a=
bire in superiorem, & corpore abesse, ut non
recipiamus tuum commentum, obstat nobis
germanus sensus uerborum Christi, qui loqui=
tur de sua passione, Resurrectione & glorifi=
catio=*

*¶ Quid sit Christum abijisse ex
suo mundo*

tatione. Luce clarius est ex Euangelistis,
Christum abire, relinquere mundum, id esse
quod pati, mori, resurgere, & introire in glo-
riam suam, deposita mortalitate, & ijs quæ
sunt huius animalis uitæ. Non habemus Chri-
stum iam præsentem, humilem, pauperẽ, mor-
talem, non corpore præsentem humili, passi-
bili, mortali, hinc non sequitur: Ergo non ha-
bemus præsentem, immortalem, corpore glo-
rioso collocato ad dexteram Dei. Hanc con-
sequentiam tibi probare incumbit, si uelis no-
bis persuadere, ut credamus corpus Christi in
Sacramento Eucharistiæ abesse.

Petrus Actorum 3, testatur o-
portere eum cælum accipere seu
tenere usq; ad tempora restitucio-
nis omnium.

Quid est Christum cælum tenere, num ut
tu imaginariis, in cælo humano more sedere?
an uerius regno cælesti inuisibiliter potiri &
omnibus rebus, tam in cælo quàm in terra,
omnipotentia ab oculis humanis abscondita
dominari, & Christum per fidem prædicatio-
ne euangelij cognosci? Loquitur enim Petrus

E 3 de

de abscondito & inuisibili regno, quod tunc
reuelabitur, quando Christus apparebit in glo-
ria sua. Nūquid hoc obstat, quo minus sit præ-
sens, & nos suo pascat corpore & sanguine?
num propterea cælum deserit, quod secundum
uerbum suum corpore suo se nobis præsentem
exhibet in communionem? In græco Lucas ha-
bet, ὄυρανον ἄρα θαι. Erasmus uertit, Cælū
accipere, uetus translatio, Cælum suscipere,
uobis placet uerti, recipi cælo, siue cælum te-
nere, quia putatis eam uersionem, ad uestram
opinionem firmandam pro locali inclusione
in cælo commodiorem esse, Verum quomodo-
cunq; legas, nihil pro uestro errore facit.

Apostolus uero Paulus sic scri-
bit: Si surrexistis cū Christo, quæ
sursum sunt quærite ubi Christus
est ad dexteram Dei sedens, quæ
sursum sunt sapite non quæ super
terram.

(Quæ sursum sunt quærite)

Quenam sint illa quæ non sunt quærenda
super terram, eodem loco Paulus ipse enu-
merat in præcedentibus & consequentibus.

T¹⁰

Tu parum religiosè inter ista terrena nume-
ras corpus & sanguinem Christi, quæ pertinet
ad cœlestia illa & superna, ad quæ nos exhor-
tatur Apostolus, ut ea quæramus, Si nō est cor-
pus Christi quærendum super terram in S. cœ-
na, cur redemptor noster eam instituit? cur di-
xit, Accipite, edite, Hoc est corpus meum, hoc
facite in mei commemorationem.

corp9 Christi quædam
sup̄ terrā in S. cœ-
na.

Nonne hic corpus & sanguinem suum quæ-
rere iussit? euigila tandem discusso somno, &
uide quam impiè ex hoc loco Pauli alijsq; locis
depravatis à te concludas, Corpus Christi re-
uera nō esse in terra, neq; in terra à nobis quæ-
rendum. Quid ergo ludificamini inani sono vo-
cabuli corporis & sanguinis? cur scribitis,
hæc sumi? cum non intelligatis uerum corpus
& sanguinem, quæ intelligunt lectores uestris
corruptelis non imbuti.

Hæc omnia satis perspicue doc-
cent, Dominum Iesum extra hunc
mundum in cœlestem gloriam es-
se subuectum, nec eius corpus in
terra uel esse reuera, uel à nobis
quærendum esse. Dominum

E 4 uero

uero proprietates humani corporis etiam post resurrectionem retinere, hæc testimonia sacrarum literarum apertissime asserunt, præter illa omnia, quæ testantur illum uerum esse hominem.

Domium retinere proprietates corporis humani)

Distingue obsecro inter corpus animale et spirituale, mortale & immortale, solummodo humanum, & coniunctum cum diuinitate, & exaltatum ad dexteram Dei. Distingue inter utriusq; corporis proprietates, præterea distingue inter substantiam & accidentia, & desines obijcere istas generalitates de proprietatibus humani corporis.

Postremo capite Lucae sic loquitur Dominus, cum Apostoli se spiritum uidere putarent: Videte manus meas & pedes meos, quoniam ego ipse sum. Contrectate me & aspiciate: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me habere

cone

conspicitis. Et cum hæc dixisset,
ostendit eis manus ac pedes.

Contrectate me & aspiciete)

Locus Iohannis probat, Christum uerè re-
surrexisse, non probat, corpus eius non esse in
cæna: probat, Christum non esse spiritum, si-
cuti Apostoli putabant se spiritum uidere, non
tollit corporis Domini præsentiam in Euchari-
stia. Nihil ualet hæc argumentatio uestra:
non contrectantur nec uidentur cum pane &
uino, caro & ossa. Ergo, Caro & sanguis Chri-
sti non adsunt, nec sumuntur cum elementis
panis & uini. In monte non poterant Disci-
puli uidere nec contrectare carnem & ossa
propter gloriam claritatis qua fulgebant, &
tamen erat uerum Christi corpus præsens. Di-
xi iam ante ex Chrysostomo, dispensationis
fuisse, quod mortali manu contrectandum præ-
buit corpus suum glorificatū, sicut fuit dispen-
sationis, quod retinuit & ostendit in corpore
glorificato Cicatrices uulnerum, & edit cum
ipsis post resurrectionem. Si argumenteris
à proprietatibus corporis humani, proprium
esse contrectari, habere cicatrices, edere &c.

gloriā claritatis
quā Christi corpus
fulget, in s. cæna
uideri nō potest.

E s Falsissime

*Falsissime concludes, Christum adhuc habere
corpus corruptibile propter cicatrices, & ani-
male quod indegeat cibo & potu.*

*Apud Ioannem etiam cap. 20.
Dominus ait Thomæ: Affer digi-
tum tuum huc, & uide manus me-
as, & admoue manum tuam, et im-
mitte in latus meum. Corpus eius
etiam non esse infinitum aut ubiq;
diffusum, aut pluribus simul locis
sisti, habemus angeli testimonium;
Surrexit, & non est hic.*

*Corpus eius non esse infini-
tum aut ubiq; diffu-
sum)*

*Vestra Philosophia est subtilis speculatio,
diuinum corpus Christi sedens in dextera Dei,
non posse esse & manducari in multis locis à
multis millibus hominum, nisi latissime exten-
datur & diffundatur, sicut aer diffunditur uel
lumen solis, uos ipsi talem facitis diffusionem,
ista uestra comparatione corporis Christi ad
Solem, quando Philosophamini, Christum ita
ubiq;*

ubiq; esse, sicut sol diffundens suam lucem, est
in multis locis: Simplicitas nostræ fidei con-
tenta Christi uerbo, non curiosa in discutiendis
arcanis, quæ humana omnia transcendunt, con-
fitemur Christi corpus integrum & indiuisum
accipi à singulis communicantibus, quomodo i-
gitur impingitis uobis, quod doceamus corpus
Christi esse ubiq; diffusum? credimus corpus as-
sumptum à Dei filio idq; coniunctum esse diui-
nitati, quæ infinitæ est potentie, unde habet
corpus illud ac efficere potest, quod nullum
corpus humanum, nulla creatura habet aut fa-
cere potest.

Huc etiam spectat, quod Domi-
nus reuersus Bethaniã ad excitan-
dum Lazarũ dixit discipulis: Gau-
deo propter uos, quod non eram
ibi. Postremo Paulus docet nostra
corpora *σὺμμορφὰ* futura corpori
Domini glorioso.

Non eram ibi)

Cum Christus sit Deus et homo, aliàs loqui-
tur ut Deus, ostendens naturam diuinam, aliàs
ut homo, indicans ueritatem humane nature,

Cum

Chrs indicat
veritate hñe
naturæ

Cum una sit persona, & duæ naturæ insepara-
biliter sint coniunctæ, loquitur aliàs de tota
persona, quæ non una, sed duabus constat na-
turis. Itaq; pronunciata scripturæ de Christo
in suos ordines digesta, intelliguntur alia de-
signare diuinam naturam, alia humanam, alia
totam personam. Humanæ naturæ ueritatem
indicauit Christus, dicens. Non eram ibi. An-
gelus cum diceret. Inuenietis infantem positum
in præsepi. Item, Non est hic. Euangelista cum
scriberet, posuerunt eum in monumento. Ete-
nim secundum naturam humanam, Christus ia-
cuit in præsepi, in gremio Mariæ, pependit in
cruce, iacuit in sepulchro, secundum naturam
humanæ proprietatem, non erat localiter &
uisibiliter in Bethania cum esset Hierosolimis.
Quoniam autem ^{Filius Dei} uerbum assumpsit humanam
naturam, & Deus & homo est una persona,
& post assumptionem Christus non est diuiden-
dus, neq; naturarum proprietates rectè oppo-
nitur personali unioni, tota persona Christus
inquam Deus & homo uere dicitur ubiq; esse.
Secundum naturæ humanæ proprietatē Chri-
stus non erat apud Nathanaelem in horto sub
ficu: secundum hypostaticam unionem uerè
erat

Secundum proprietatē
humanæ natu-
ræ non adē nobis
Chrs, sed iudm
hypostaticā unionē
ipse nobis adē, ut
ad fuit Nathanaeli.

erat ibi & uidebat Nathanaelem. Secundum
proprietatem humane naturæ Iesus infans in-
uolutus fascijs iacebat in præsepi, idem tamen
erat Dominus cæli & terræ. Secundum natu-
ram humanam localiter erat in terra: in uni-
tate personæ erat in terra, in cælo & ubiq;.
Etsi igitur Christus iuxta quasdam propieta-
tes humane naturæ non est localis, circumscri-
ptus, uisibilis & palpabilis in Sacramento, ta-
men totus Christus Deus & homo adest. Tota
persona sedet ad dexteram Dei Patris, non
tantum in cælo sedet ad dexteram Dei homo,
& abest in terra, & non sedet solummodo De-
us ad Dei dexteram, etiam in terra, homo in
cælo, uerum ut dixi, totus Christus in dextera
Dei sedet in cælo & in terra.

Sed neq; corpora nostra sunt in-
finita, aut diuersis in locis simul se-
sistent, aut in spiritum uertentur.
Hactenus diuina attulimus testi-
monia, nunc pauca etiam externa
annectamus.

Neq; corpora nostra sunt in-
finita)

Respon-

Respondeo ex eodem Paulo, Christus tenet primatum in omnibus. Etsi corpora nostra erunt conformia corpori Christi, eò quod resurgent spiritualia & incorruptibilia, quod lucebunt sicut sol: tamen in multis sunt dissimilia, in quibus corpus eius habet prerogatiuam. In Christo natura humana unita est diuine, caro eius sublata in cælum ad Dei dexteram sedet, hæc illius propria non competunt nobis: habituri sumus conuenientem nobis gloriam, non tamen sedebimus ad dexteram Dei, Christus de suo corpore dixit toti Ecclesie Parsæ per totum orbem. Accipite, Comedite &c. Nihil tale dictum est de carne ullius sancti hominis. Non est mirum igitur, nostra corpora non ita futura in multis locis, ut corpus Christi adest & distribuitur in tota Ecclesia.

Ac primum incipiemus à Synodo Calcedonensi &c.)

Ad sententias patrum à te præter rem congestas, in summa breuiter nunc respondebo: suo tempore, Deo adiuuante, adducturus quid senserint cum Ecclesia tota, de cæna Domini, quan-

onale corpus
post hæc vita
est habitus.

Quamquam nostri iam olim bona fide adduxerint, & pars aliqua à me collecta & in mediū allata sit. Scripturæ non stant à uestra parte, Ergo nec Synodi nec veteris Ecclesiæ episcopi. Vestrum dogma non confirmant scripta Canonica malè citata à uobis, Ergo nec ueterum scripta id corroborant. Contra scripturam enim neq; Synodi neq; patres p̄j aliquid præscripserunt, neque ius habuerunt aliquid definiendi contra eam. Rectius igitur iudicamus patrum scripta ex sacris literis, & ea accommodamus potius ad normam quàm inflectimus regulam ad ipsorum sententias, & quæ fundamentum habent in scriptura, eorū placitis summittimus. ~~Dicta patrum probant, Christum esse se Deum & hominem, duas naturas, diuinam & humanam impermixtas & inuolatas in una persona esse.~~ Non opponunt ea præsentia Christi in sacra Cæna. Veteres sic usquam argumentari, ostendere non potes. Christus est Deus & homo. Ergo Christi corpus nõ est præsens in S. cæna. Quæ bono zelo scripserunt contra hereticos qui negauerunt, Christū esse uel Deū uel uerum hominē, peruerse detorquetis aduersus eos qui recte sentiūt de diuinitate & huma-

humanitate Christi, & credunt corporis eius
praesentiam & communicationem in Synaxi.
Contra haereticos illi disputauerunt non con-
tra orthodoxos, neque contra fidem Ecclesiae
Catholicae, frustra sumitis laborem in conge-
rendis & citandis sententijs patrum, quasi nos
negemus, quod duae sint in Christo naturae, e-
tiam si confiteamur nos credere, carnem no-
bis suam dare manducandam in Sacramento
Eucharistiae. Coena enim a Christo instituta,
& instructa cibo corporis & potu sanguinis
eius, non est contraria uerae fidei confitenti,
Christum Deum & hominem esse. Citas ex
Augustino, quod Dominus carni dedit immor-
talitatem naturam non abstulit. Nos non affir-
mamus, naturam humanam abstulisse, alioqui
negaremus esse hominem, & crederemus so-
lummodo esse Deum, quod nemo in nos nisi ua-
nissimus conferet. Citas ex eodem haec uerba:
Spacia locorum tolle in corporibus & nus-
quam erunt, tolle ipsa corpora qualitatibus
corporum, & non erit ubi sint. Si haec Philo-
sophica regula exigetur ad corpus Christi, in
multis erit falsa. Exiit Dominus clauso mo-
numento, intrauit per ianuas clausas, quod
tum

Instituta coena

Aug.

tum Augustinus tum alij ueteres scriptores ex
scriptura asserunt, num ideo sublatis spacijs lo
corum, corpus eius nusquam fuit? In altera ui
ta longe alijs qualitatibus est præditum, quàm
habuit in hac uita, tollimus has qualitates cor
pori Christi, nunquid ideo nusquam erit, etiam
nostra corpora non habebunt qualitates in al
tero seculo, quas in hac uita habent, erit tamē
ubi sint. Quid dicemus de qualitatibus, quas
habuerunt corpora Hebreorum in camino ig
nis ardentis, nunquid quispiam dicet eos, tum
non habuisse corpora, cum ab igni non lēde
rentur, & proprium sit humani corporis ab
igne lēdi, exiccari & exuri? Hilarium &
Cyrillum uides uestro dogmati imprimis refra
gari & sententiam nostram confirmare: ideo
atramento effuso in morem sepia elabi uis &
errorem occultare. Expedis te perfunctoria
& in transcurso, perinde ac si ne inspexeris
quidem scripta Cyrilli & Hilarij, uel uerius
dedita opera cæcus præterieris nec expende
ris unquam, quid scribant, & existimes alios
quoq; transilire nec attendere quid sibi uelint,
quid agant, quid sentiant, quid non. Pro tua
arbitratu addis scholia tua, & scribis, cum
dicunt,

F dicunt,

dicunt, Christum in nobis naturaliter habitare, intelligere eos, quod Christus communicet nobis naturam suae aeternitatis. Illi uero non solum scribunt de natura diuinitatis, cuius reddimur participes, sed etiam de natura humana & de carne Christi, non solum docent, Christum nos secum coniungere, & suam immortalitatem communicare nobis, sed etiam per quid fiat unio & communicatio: nimirum per manducationem corporis, & potum sanguinis eius. Hilarius enim refutans Arianos, respondet ad id, quod corrumpebant uerba Christi, quae legimus in eius precatone pro Ecclesia. Ioannis 17. Oro pro eis, qui credituri sunt per sermonem eorum ut sint omnes unum, sicut tu Pater in me & ego in te, ut sint etiam in nobis unum, & uolebant ea intelligi de unitate, per uoluntatis & charitatis coniunctionem, non de unitate naturae diuinae. Eius unitatis rationem inducebant similitudine coniunctionis nostrae cum Deo & Christo, dicebant, nos unum esse cum Christo & inter nos coniunctione uoluntatis, non naturae, ita Christum unum esse cum Patre, non secundum naturam diuinam, sed secundum charitatem.

II. com.

Et contra Hilarius ostendit et nos coniungi Hilarius
cum Christo naturaliter, non tantum uolunta-
te, et Christum cum Patre unum esse natura,
non solum uoluntatis coniunctione.

In hanc sententiam proponit et concludit
Hilarius: proponit his uerbis: Quomodo uo-
luntatis unitas asseritur? concludit autem in
hunc modum: Hæc idcirco commemorata sunt
à nobis, quia uoluntatis tantum inter patrē et
filium unitatē hæretici mentientes unitatis no-
stræ utebantur exemplo. Naturaliter nos cum
Christo coniungi probat, quia carnem nostrā
assumpsit, et quia in Sacramento Eucharistiæ,
carnem eius edimus. Carnem, inquit, corporis
nostri assumpsit Christus. ~~Verus est homo qui~~
natus est ex Maria uirgine, nos uerè sub myste-
rio carnem corporis sumimus et per hoc unie-
rimus, quia pater in eo et ille in nobis.

De ueritate sanguinis et carnis non est re-
lictus locus ^{de libere} ambigendi, nunc enim et ipsius Do-
mini professione, et fide nostra uerè caro est
et uerè sanguis.

Et hæc accepta atq; hausta efficiunt, ut
nos in Christo, et Christus in nobis sit, Chri-
stus est in nobis per carnem (non tantum per

F 2 diuini

diuinitatem) per Sacramentum communicatæ
(non tantum assumptæ) carnis in Christo sumus. Si uoluntatis tantum unitatem intelligi uellet, cur gradum quendam atq; ordinem consummandæ unitatis exposuit: nisi ut cum ille in patre per naturam diuinitatis esset nos uero contra in eo per Corporalem eius natiuitatem, & ille rursus in nobis per Sacramentorum mysterium inesse crederetur?

et in nobis

Quod in nobis naturaliter hæc unitas sit ipse ita testatus est, qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo. Hæc uitæ nostræ causa est, quod in nobis manentem per Carnem Christum habemus, uicturi per eum ea conditione, qua uiuit ille per Patrem. Naturaliter per eum uiuimus, id est, naturam suæ carnis (non dicit, diuinitatis) adepti. Quid dilucidius his uerbis, quibus affirmat carnem & sanguinem Christi hausta efficere, ut nos in Christo et Christus in nobis sit, Christum in nobis esse per carnem, nos per Sacramentum communicatæ carnis esse in Christo &c. Quas nebulas obijcies tantæ claritati, ut non intueamur eam? & in tuis teneæ

tenebris potius oberremus, quàm in clara luce
rectè incedamus?

Cyrillus idem omnino agit, quod Hilarius
uidelicet, nos non tantum fide & charitate
spiritualiter coniungi cum Christo, sed etiam
secundum carnem nos illi coniunctos esse. Tri-
buit hanc uirtutem mysticæ benedictioni, quæ
cum in nobis fit, faciat corporaliter Christum
communicatione carnis eius in nobis habitare.
Monet considerandum esse, non habitudine so-
lum, quæ per charitatem intelligitur, Chri-
stum in nobis esse, uerum etiam participatio-
ne naturali, quid illa sit addit ilico cum inquit,
cōmunicatione corporis & sanguinis sui Chri-
stus in nobis est & nos in ipso. Non poterat
enim aliter corruptibilis hæc natura corporis
ad incorruptibilitatem & uitam traduci, nisi
naturalis uitæ corpus ei adiungeretur. Rur-
sus lib. 10. in Ioan: cap. 26. scribit, Christum suo
corpore benedicere credentes per communi-
onem mysticam, & secum & inter nos unum
corpus efficere. Item, In uno Christo nos uni-
tos esse sancti corporis unione. Item, uni Chri-
sto per corpus suum coniunctos nos esse, quo-
niam in nobis illum, qui est indiuisibilis, acce-

F 3 primus.

plinius. Adiungit ibidem post corporalem unio-
nem de spiritali, de qua ait. Spiritu sancto re-
cepto, & inter nos quodam modo, & cum Deo
unimur, & sicut uirtus sanctissimæ Christi car-
nis unum corpus facit participantes, eodem pa-
cto, in quibus indiuisibilis Dei spiritus habita-
uit, eos omnes ad uirtutem spiritalē adducit.
Abunde satis responderūt Cyrillus et Hilarius
pro se contra affectas scriptis ipsorū corrupte-
las, quid senserint cum scripserūt, naturaliter
et corporaliter coniungi nos cum Christo, non
illa ad naturam diuinitatis & spiritalē u-
nionē, sed ad eam quæ fit communicatione &
esu carnis Christi referri debere. Diui Chryso-
stomi sententiam per omnia consonā his alibi
recitauī. Ad alias sententias patrum prolixius
respondere nihil necesse est nec operæ precii:
progrediar ad tuas istas, quæ sequuntur uerbo-
rum institutionis S. cœnæ, per excogitatas glos-
sas elusiones, et per tropum fictū deprauatio-
nes. In epistola tua sequitur. Quod uerò ad
hæc uerba attinet. Hoc est corpus meum, dici-
mus Dominum tunc, cum illa proferret, Sacra-
mentum instituisse, & propterea sacramenta-
liter locutum esse. Quid uocas Sacramentū? sa-
cra

ere rei signum. Quæ res illa sacra? commu-
nio ne nostra cum Christo Domino, an corpus
Christi? Si corpus Christi, absentis ne dicis esse
signū, an corporis præsentis? Absentis inquis.
Sacramentum ergo uocas signum, significans
& adumbrans corpus absens, et Christū Sacra-
mentaliter locutum esse dicis, id est significati-
uè, nobisq; quasi postliminio reducis illud diu
in uestris scriptis occultatū significat Cinglij,
et figuram Oecolampadij, ideo maluisti uti uo-
cabulis Sacramenti & sacramentaliter, quam
dicere, Christum instituisse cœnam, in qua præ-
bet corpus suum in cibum, & sanguinem suum
ad potum uiuificum anime. Scimus Ambrosiū
quoq; & Augustinum S. cœnam uocasse Sacra-
mentum corporis & sanguinis, & nostræ Ec-
clesiæ eodem nomine appellant, cæterum intel-
ligūt ut illi, præsentis corporis et sanguinis si-
gnum, sacramentaliter Christum locutum esse,
sacramentaliter corpus eius adesse & dari in
Eucharistia, id ita accipiunt, & in hanc senten-
tiam admittunt, quod dixit, se cum pane &
uino dare suum corpus manducandum, &
quod cum his elementis adsint & sumantur
uerum corpus & sanguis Christi, quamuis
E 4 sensus

Augustini.

sensus nostri uideant & percipiant solummodo panem & uinum, Et quod res Christi spirituales significetur. Ad regulam citatam ex Augustino respondeo: Dei uerbum non hominum regulis, sed regulæ hominum ad uerbum Dei astringuntur. Verba Christi non Augustini regulis, sed eius scripta uerbis Christi subiiciuntur, audiendum quid dixerit Christus, quid Euangelistæ scripserint, non quid Augustinus dixerit aut scripserit, si dicta & scripta eius à uerbis Christi, & scriptis Euangelistarum dissonent. Dictum Augustini est particulare, non rectè inde fit conclusio uniuersalis. Scribit enim Sacramenta plerunq; accipere nomina rerum quarum habent similitudinem. Ualeat dictum Augustini in uerbis S. cænæ, Signa accipere nomina rerum significatarum, si signa intelligas elementa, & exponas, panem ideo corpus, uinum Christi sanguinem appellari, quia panis & uinum signa sunt præsentis corporis & sanguinis, & hæc adsunt et dispensantur cum signis, pane uidelicet & uino. Item signa sint rerum cælestium, quæ uerè exhibentur. Postremo reuocamus dictum Augustini ad regulam Theologiæ: Signum & signatum.

tum idem esse Deo in Sacramento Eucharisti-
æ. Signum idem esse dico, non quod natura
sit idem, non quod panis uertatur in corpus
Christi, sed quod per uerbum habeat corpus
presens. Infans Iesus iacens in praesepe signum
erat & res signata. Simeon in sua prophetia
dixit, Christum esse positum in signum cui con-
tradicitur. Quis hic diuersum intelligat, &
non potius idem & unum signum & signatū?

Et uetustissimus scriptor Ter-
tullianus)

Vsurpatis scriptorum ueteris Ecclesie, a-
liquot uoculas, utinam retineretis potius eo-
rum sententias & perpetuam doctrinam. In-
sistitis paucis usque ambiguis & obscurioribus
dictis, quanto rectius de his iudicaretis ex plu-
ribus alijs perspicuis & claris locis. Obijcitis
nobis uocabula, Sacramentum, signum, figu-
ram, & disceditis à sensu, quo illi his uocibus
sunt usi. Tertullianum allegas, corpus exposu-
isse pro figura corporis: unde uero nobis fi-
dem facies, illum uobiscum sensisse, & in Eu-
charistia negasse presentiam & sumptionem
corporis Christi, cum ille alio loco scribat lib.

F 1 de

de resurrectione carnis, carnem nostram uesci
carne Christi, ut & anima de Deo saginetur,
& in loco à te citato dicat, Christum panem
fecisse corpus suum. Item, cum apud eundem
legatur in expositione orationis Dominicae,
corpus in pane censi.

De figurata tua expositione uerborum Chri-
sti dicentis: Hoc est corpus meum, respondeo
tibi ex eiusdem Tertulliani libro aduersus pra-
xeam: Hæc aut nega scripta, aut quis es, ut nō
putes accipienda quemadmodum scripta, ma-
ximè quæ non in allegorijs & parabolis, sed in
definitionibus certis & simplicibus habent sen-
sum. Et iterum ex libro cui Scorpiaco titulus
indidit. Hæc si nō ita accipiuntur, quemadmodum
pronunciantur, siue dubio præterquã sonant,
sapiunt, & aliud in uocibus erit, & aliud in sen-
sibus, ut allegoriæ & parabole & enigmata.

Rectè nos accommodamus hanc regulam ad
nostrum institutum, uos putatis uerba Christi
non esse accipienda ut scripta sunt, contenditis
impropriè & figuratè dicta esse, aliud habere
in uocibus, aliud in sensibus. Vestrum igitur est
probare, Christi sermonem esse allegoriã, pa-
rabolã uel enigma, ut firmetis uestras figura-

tas

tas locutiones, sed hoc probare non potestis, cū
constet, Christum in condendo suo Testamēto
propriè & perspicuè in certa & simplici defi-
nitione, & nō in parabolis, non allegoricè, nec
enigmaticè locutū esse. Vsq; adeo igitur nihil
pro uobis facit Tertullianus, ut tropo uestro
nihil loci relinquat in uerbis Christi simplici-
bus, & extra parabolæ & enigmatū obscuri-
tatem in aperta luce positis. Quod si autorita-
te eius pertinaciter nos urgeas, cū Theophyla-
cto scriptore, si non ita uetusto, tamen non mi-
nus piè urgemus uerba Christi, qui non dixit:
Hoc est figura corporis mei, sed hoc est corpus
meū. Non ignoras eum in multis grauissime er-
rasse, quid si & hic errauerit, corpus exponēs
pro figura. Ex Hieronymo et Ambrosio, ex-
cerpis unum atq; alterum uerbum quod ille di-
xit, Dominum corpus suum representasse, hic
uero significasse. Linceis oculis perspicis duo
uerba, insigniter cæcutiens dedita opera ad in-
tegras sententias & locutiones, ex quibus dua-
rum uocum interpretationem petere æquum e-
rat. Quid, quod illa uerba trahis ad aliū sen-
sum, quam ab illis usurpata sunt?

Representare tibi est adūbrare, figurare, ex-
hibere,

hibere, quemadmodum in actionibus scenicis
representantur res & personae.

Hieronymo autem est, corpus praesens ex-
hibere, offerre & dare, cuius uerbi postero-
ris frequens usus reperitur in scriptis ueterum.
Significare tibi est signis representare, siue
symbolis indicare, seu denotare corpus absens
& eius uirtutem. Ambrosio est dicere seu
nunciare, quod praesens sit & detur Domini
corpus.

Non exponit Est, pro significat, sed dicit
Corpus significari, hoc est, nominari siue pra-
dicari. Ait enim libro de mysterijs cap. 9. An-
te benedictionem caelestium uerborum species
nominatur, post consecrationem corpus signi-
ficatur.

Ante consecrationem aliud dicitur, post
consecrationem sanguis nuncupatur. In eodem
sensu legitur idem uerbum in expositione Epi-
stole ad Chorint: ubi sic scribit Ambrosius.
In edendo & potando panem & uinum car-
nem & sanguinem, quae pro nobis oblata sunt,
significamus, ubi uerbum significare adiunxit
ad carnem & sanguinem, non ad panem et ui-
num, nec his illa Symbolicè significari dixit.

Sequi-

Sequitur in epistola tua.

Neque tamen nos dicimus, signum aut representationem tantum esse. Credimus enim Dominum corpus suum nobis uerè dare ad edendum, uerè etiam sanguinem dare ad bibendum: sed hoc uirtute spiritus modo cœlesti fieri dicimus, neq; opus esse, ut corpus ideo de cœlo detrahatur, aut corporaliter adsit in, sub, aut cum pane.

Credimus Dominum corpus
suum)

vt uoluis te & reuoluis huc & illuc, ut circumducis lectorem, ut ludos exerces, non aliter quàm cuculator aliquis, modo affirmas corpus dari, modo adesse reuera & dari negas, Corpus nunc uirtutem corporis uocas, hanc dari gannis, nunc uerum corpus intelligis, quod abesse asseueras specioso tamen prætextu dum siue fictiones siue somnia tua transfers in nos & suspectos facis, nos tã crasse sentire & docere, quod corpus Christi de cœlo
detra

destrahatur. Omnes te pauculis plumis ueterum
scriptorum, carpi nihil serius loquendi for-
mulam usitatissimam illis, uidelicet quod in pa-
ne & uino adsint, distribuantur & sumantur
Domini corpus & sanguis. Simulatis uos nihil
diuersum sentire ab Augustana confessione, et
reijcis formulam tum ibi tum in alijs scriptis re-
ceptam locutionem, quod cum pane et uino ue-
rum Domini corpus & sanguis adsint, & di-
spensentur. Durus est uobis sermo filij Dei,
pronuncians panem esse corpus? Quae tandē
uerba qui sermones allubescunt & placent uo-
bis? nimirum inuenti in Schola Berengarij &
Cinglij: dulce sonat uobis uestra cantilena: pa-
nem esse symbolum corporis, figuratē & signi-
ficatiuē panem esse corpus.

Necq; uero aduersarij effugere
possunt, quin tropum admittant.
Cum enim resoluunt haec uerba:
Hoc est corpus meum, in hunc mo-
dum: In hoc, cum hoc, aut in hoc
pane est corpus meum, Dominum
tropice locutum, uelint, nolint, fa-
teri coguntur, etiamsi alioqui cla-
mitent,

mitent, à naturali uerborum signifi-
catione recedere, sibi religioni
esse.

Neque aduersarij effugere pos-
sunt.)

Conuertis te tandem ad tropum tanquam
fortissimum praesidium, pro eo postremo loco
strenue pugnas, triplici armatura munitus, u-
na à nobis arrepta, altera ex uerbis Christi,
tertia conflata ex absurditatibus, in quas in-
currere nos necesse sit, nisi uestro tropo her-
bam porrigamus. Vim insuperabilem infero ad
concedendum uobis tropum, compellens nos
propria nostra ipsorum confessione, quia nos
fateri oporteat, Christum tropicè esse locu-
tum, eo quod uerba eius: Hoc est corpus me-
um resoluentes, his formulis ea enunciemus
hoc modo, corpus esse in, sub, uel cum pane.
Nos docendi causa cum ueteri Ecclesia in lo-
quendo, & scribendo utimur istis formulis,
non ideo constituimus tropum, neq; recedi-
mus à naturali uerborum significatione.

Christus enim dedit Discipulis suis Pa-
nem, nec solum panem, sed simul cum
pane

pane dedit corpus suum. Apostolus Paulus re-
petens Christi institutionem, nominat panem
& corpus. Est igitur nativa significatio ser-
monis Christi in S. cœna, esse & edi panem &
corpus. Hinc nos mutuamur hoc genus locu-
tionis, quod dicimus, in uel cum pane corpus
Domini distribui & manducari. Ex uerbis
Christi & D. Pauli sumimus tum res tum uer-
ba: non excogitatas à nobis siue sententias si-
ue locutiones nouas inferimus ipsorum uerbis.

Tropus autem Sacramentariorum plane
noua uocabula gignit, pro uero corpore &
sanguine substituit figuras, symbola & alle-
gorias: relinquit panem & uinum, Corpus ue-
ro & sanguinem Christi tollit ex S. cœna præ-
sentiam negando: proinde reijcimus falsum tro-
pum, cum docemus Domini corpus & sangui-
nem in Eucharistia sumi, reijcimus etiam pa-
pisticam transformationem, cum docemus pa-
nem & uinum manere, non mutata in aliam
substantiam.

Quid? quod hæc uerba: Hoc po-
culum est nouum Testamentum,
tropis plane scatent. Neq; enim
poculum

poculum est nouum Testamē-
tum, neque quod est in poculo, est
nouum Testamentum, necq̄ san-
guis Domini est nouum testamen-
tum, sed Domini sanguine nouum
Testamentum sancitum & confir-
matum est.

Quid? quod hæc uerba:

Hoc poculum est nouum testamentum. Tro-
pis plane scatent) ? Quos comminisceris tro-
pos ? Metonymiam ne. Atqui S. Lucas &
Paulus non simpliciter efferunt, quod calix sit
nouum testamentum, sed rem ipsam simul de-
signant & exponunt. Continens ponunt cum
contento, Calicem nominant cum sanguine :
sed esto sit tropus apud Lucam & Paulum,
num ideo tropice oportet exponere hæc uer-
ba sine tropo dicta : Hoc est corpus meum ? an
potius conuenit tropicam locutionem per sim-
plicem & non figuratam explanare ? nun-
quid propterea locum habebit uester tropus,
faciens ex Testamento signum testamenti, &
sanguinem salutarē è S. cæna auferens ? Non-
ne tutius præferemus uestris commentis Spi-
ritu

G ritussan

ritus sancti interpretationem, quae est apud
Matthæum & Marcum, qui simplicissime uer-
ba Christi recitant, quod dixerit: Hic est san-
guis noui testamenti? Quid hac oratione pla-
nius & lucidius est, quid opus habet subsidio
tropi, quomodo patitur Sanguinẽ exponi pro
symbolo aut figura sanguinis? Nullam ergo
constituendi & admittendi tropum nobis ne-
cessitatem imponunt hæc uerba: Hoc poculum
est nouum testamentum in meo sanguine, mul-
to minus illa, quibus dictum est: Hoc est cor-
pus meum.

Quod si à tropo præfracte ab-
horrebimus, istis absurditatibus
nos inuolui necesse est. Primum eo-
nim sequetur, panem & uinum in
corpus & sanguinem transsubstan-
tiari, & Christum duo corpora ha-
buisse, unum quod præberetur A-
postolis: alterum quo illud præ-
beretur: idem corpus, eodem tem-
pore, passibile & impassibile fuis-
se: idem corpus, eodem tempore,
locutum & non locutum esse.

Seque

Sequetur panem in corpus
transsubstantiari)

Ex tua & papistica Philosophia sequitur,
non ex Christi unici præceptoris nostri Theo-
logia. Peruulgatam uestram cantilenam oc-
cinis: ubiq; miscetis transsubstantiationem
tum doctrina de uera præsentia corporis Do-
mini in S. cæna, imputatis ei ἀρτολατρείαν,
& omnes papisticos abusus inde inuectos, ut
reddatis odiosam & execrabilem, non minus
quam papisticam metamorphosin, & uestrum
errorem exornetis speciosis coloribus & plau-
sibilem faciatis.

Afficitis autem insigni iniuria & contu-
melia spiritum Dei, & doctrinam quæ non no-
stra est, sed τὸ λόγος æterni patris, dum
committitis ea cum Antichristi abominatio-
nibus, quæ eius fidelis seruus D. Lutherus do-
cuit & defendit ex Christi uerbis in causa Euc-
haristie. Vidit ille, præeunte luce Spiritus
sancti, μετῴσιν panis pugnare cum scrip-
tura, uidit & euertit Idolatriã & abusus cum
ea introductos. Nō uidit scilicet, relictus in dē-
sis tenebris, destitutus à spiritu sãcto, doctrinã

de presentia corporis Christi æquè ut illa, pug-
nare cum scriptura, & neruum Idololatriæ
stabilire. Illud electum suum organum passus
est scilicet spiritus sanctus prolabi in eosdem
labyrinthos errorum, permisit restituere &
confirmare ea, quæ per illum euerterat. Quis
credat, imo quis cogitet tam contraria, si rem
sobriè paulisper expendat?

Duo corpora habuisse)

Affingitis uestras sequelas, reuelantes ex
cordibus uestris stultas uestras cogitationes.
Oportuit te tuiq; similes magistros interfuis-
se, cum Dominus instituens cœnam, et assidens
mensæ, diceret: Accipite, Edite, hoc est cor-
pus meum, & præmonuisse ut uitaret tam ab-
surda. Dedit Discipulis illud idem corpus
quod accumbebat ad mensam, hodieq; dat u-
num & idem illud corpus, quod pro nobis tra-
didit, non duo aut plura. Vna mensa est, una
cœna per totam Ecclesiam: unus cibus & po-
tus. Quomodo id possibile sit, inuestigare de-
sine, præclare inquit Chrysostomus. Non o-
pus esse questione ubi est fides. Item Augu-
stinus: (Crede) & soluisti questionem.

Accede ad
professio-
nem,

Eodem

**Eodem tempore passibile &
impassibile fuisse)**

Finge eandem absurditatem in clarifica-
tione Christi, quæ præcessit eius mortem, dic
fuisse eius corpus humile & gloriosum, passi-
bile & impassibile: nega id factum esse, quod
Euangelistæ narrant de Christo in monte cla-
rificato. Nega Christum edisse & bibisse cum
discipulis suis post resurrectionem, ne sequa-
tur absurdum aliquid, Christum eodem tempo-
re habuisse corpus animale & spirituale. Si
ibi aliqua prohibet religio contradicere ueri-
tati, occludas etiam os, nec præendas absur-
da, Cur neges dedisse Christum suum uerum
corpus edendum suis Discipulis.

**Idem corpus eodem tempo-
re locutum & non locu-
tum esse)**

Faceffant ista insane rationis deliramen-
ta & irrisiones. Effudistis nimis multas San-
ctas, scommata, & blasphemias aduersus fili-
um Dei, desistite aliquando, cogitate homines
rationem reddituros de ocioso uerbo, multo
magis de irrisorijs & blasphemis uerbis. Ser-

sapientia

mo piorum debet esse conditus sale. Quid con-
dimenti habent isti insulsi, fatui, & scurriles
sermonis uestri? ne gentiles quidem effutirent
magis insulsa & insipida, quam uos, qui uul-
tis esse sal terræ, & mundi lumina, ex thesau-
ro mali cordis, ore prophano & Diabolico ca-
lamo effunditis. ~~Dei sapientia est uobis stul-~~
~~ticia, rationis sapientia uos infatuat & demen-~~
~~tat, ut nullus sit pudor nec metus, tam nefanda~~
~~euomere ebrios spiritu uertiginis.~~

Nam quatenus erat in Aposto-
lis non loquebatur, idem sedisse &
non sedisse, ambulasse & non am-
bulasse, captum esse & non cap-
tum esse, uinctum esse & non uin-
ctum esse; flagris cæsum, & non
cæsum esse &c. Nam hæc omnia
corpus illud quod erat in Aposto-
lis non est passum. Sequitur quoque
Dominum Sacramentum sanguis
nis frustra instituisse, cum antea to-
tum corpus Apostoli sumpsissent.
Apostolos etiam sine iusta fide per-
cepisse;

cepisse: non enim crediderunt, se
corpus Domini realiter intra se re-
cepisse. Nam si credidissent, non
potuissent postea de eius resurre-
ctione, tantopere dubitare.

Non crediderunt se corpus Do-
mini intra se realiter rece-
pisse.)

Vos scrutatores cordium perspexistis,
quid Apostoli tum crediderint, quid non. Ex
uestri spiritus reuelatione constanter negatis,
eos credidisse, quod reuera Christi corpus in-
tra se recepissent. Quid si non credidissent a-
liqui, num ideo Dominus frustra instituisset cœ-
nam suam? præuidit uos non credituros, nun-
quid idcirco frustra instituit? Apostoli non af-
flati uestro spiritu, non curiosi indagatores,
obtemperauerunt Christi iussis, acceperunt pa-
nem, ederunt, et simpliciter crediderunt, quod
audiebant dici, Hoc esse corpus Christi: dedit
eis donum fidei, ut crederent, ne frustra insti-
tueret, dat etiamnum fidem, (tametsi alioqui
manent increduli), ne frustra instituerit.

G 4

Non

Non potuissent de resurrectione eius dubitare)

*Abi cum tuis scopis dissolutis. Quid con-
heret in isto nugatorio Sophismate. Apostoli
dubitauerunt de Christi resurrectione. Ergo
non crediderunt se edisse eius carnem. Eadem
ratione inferes, non credidisse nec uerè confes-
sos esse, quod Christus esset filius Dei, quod ha-
beret uerba uitæ æternæ, quia postea dubita-
uerunt de resurrectione. Eadem opera con-
cludes, eos nihil horum intellexisse, nec uerè
credidisse, quæ ante de fine cænæ Domini com-
memorasti.*

*Atq; hæc nostra cum sit de sa-
cro sancta cœna, Christi q; in ea, ue-
ra & reali exhibitione & sumptio-
ne confessio ac mens, quæ sacris li-
teris ac patrum doctrinæ per om-
nia est consentanea, ac perinde
lōge omnium uerissima, pñssima,
& quæ Christi gloria potissimum
illustratur, ut cuius caro & san-
guis, cœlestis & animorum, non
terre-*

tērestris & corporum, per se, sint,
cibus & potus, homines ad cœle-
stia & diuina sursum euehantur,
eò, ut aquilæ, congregati, ubi diui-
num illud & rediuitum, nec am-
plius moriturum est cadauer: quid
tandem, quæso, nos calumniando
traducis, & persecutionem inferre
conaris. Tunc arbitrare huius ur-
bis ministros (de Germanis lo-
quor) non satis habere animi ad id
quod contra nos iampridem alio-
qui aggressi erant, prosequendum,
nisi tu oleum igni eorum adhibu-
isses? Non puto, scis enim uestros
homines hac quidem in re, non so-
lum non esse trepidos, sed plus sa-
tis etiam efferuere, atq; adeo, ut e-
tiam iusti feruoris metas transili-
ant.

Atq; hæc nostra cum sit con-
fessio)

Pulchre rebus tuis defunctus es, expediui-

est

Si te præclare, posuisti fundamenta ex depræ-
uatis scripturis, detortis sententijs patrum, ex
absurdis depromptis ex penu impie rationis.
Habeas cur glorieris, confessionem tuam conso-
nare cum sacris literis, consentire cum doctri-
na ueterum theologorum, omnium uerissimam
& piissimam esse. Et quid non? Quæ gloria-
tio quam sit uana, apparet ex opposita respo-
sione mea breui, Et iudicare facile est paulo
attentius intuenti sacras literas & patrū scri-
pta. Imponens nunc summum fastigium, frater-
næ tuæ charitatis opera strenuè exerces: in
sublimi elatus iacis iterum falsas tuas crimina-
tiones, calumniaris, & de calumnijs insontem
accusas. Persequeris nihil male meritum, &
conquereris me persecutionem inferre. Ego
uero nõ infero, uestre uirtutes uobis inferunt.
Expostulas quod urbis uestre ministros plus
satis feruentes accenderim, Ego uero ignem
mali dissidij nullum accendi, uos accendistis.
Ullum ignem excitare si possem, de quo Do-
minus ait: Ignem ueni mittere in terram, &
quem Apostoli, inflammati in die Penteco-
stes, per orbem accenderunt, gauderem, &
gratias Deo agerem.

Sanctos

Sancto illo igne Ecclesiam illius urbis ar-
dere, laudi potius quam uitio uerti debet. Insi-
mulas eos plus satis efferuere, etiam iusti fer-
uoris metas transilire. Si quid habes coram ac-
cuses: arbitror satis habituros animi, ut sese
defendant, & à se remoueant intentatas de il-
lata tibi iniuria accusationes. Audies inter
alia, audaces esse pro commissis sibi ouibus
Christi contra lupos, feruere iusto zelo contra
turbatores, pio dolore commotos ægre ferre,
nouari & turbari pacatum statum Ecclesie,
gregem collectum dispergi, ad uenenata pa-
sca abduci, pro quo Deus sanguinem suum im-
pendit.

Quid igitur te, ut istue ageres,
mouisse dicam? quibus te stimu-
lis huc adactum fuisse credendum
est? His nimirum, te male ha-
bet, te pungit, tibi displicet, optimi
uidelicet huius Senatus erga nos
benignitate, tui, tui, inquam Sena-
tus, in optimos ac fideles Christi
exyles factum condemnari, uel
potius

potius rabiem tuam, quam tute in
hos ipsos exercebas, dum modis o-
mnibus, ac quantum in te erat, a-
pud magistratus quoslibet efficere
conabaris, ne qua ipsis, uel in asper-
rimæ hyemis frigoribus, exhibere-
tur humanitas. O factum malum,
atq; homine indignū, nedum Chris-
tiano, Deiq; ministro. Atq; in hoc
ipso ita tibi places, ut eos quos se-
mel odio habere, idq; sine ulla cau-
sa in animum induxisti, persequi
non dubites, quo innocuo ipsorum
sanguine explearis, ac liberè dein-
de triumphum canere possis.

Te malè habet.)

Poetice fingis falsas causas.

Tibi displicet.)

*Displicent mihi quæ scio Deo displicere,
& spiritum sanctum contristare in cordibus
piorum.*

Optimi Senatus benignitate.)

*Laudas nunc de benefactis, uituperaturus
si non*

si non præberet nidum. Qualis sit benignitas, iudicent alij, prohibente Deo, recipere in ciuitatem ueneno Sacramentario et alijs erroribus imbutos, malis parcere, sinere lædi bonos, permittere Ecclesiam scindi, salutarem concordiam & pacem concuti. Cæterum non est solummodo benignitas præbere hospitium, & temporarijs uitæ commodis in una ciuitate concedere frui, sed multo magis est benigne facere, errantes quærere & reducere, doctrinam salubrem communicando falsæ doctrinæ authores coercendo, subtrahendo externa solatia, ut non negligantur æterna.

Tui, tui, inquam, Senatus.)

Contine te ô bone, quid fremis? cohibe iracundiam, ne quid erumpat, quod recidat in tuum caput, Constat pientissime nostro Senatui sui facti ratio. Deposcat quis ab eo, reddet ubi opus est. Neq; solius nostri magistratus factum culpas, sed etiam reliquarum ciuitatum, & regis præditi insigni pietate, à quibus interdictum est Sacramentarijs & Anabaptistis subditorum suorum societate. Verbum Dei sit iudex, utrum hi benefecerint an alij.

vel

Vel potius rabiem tuam.)

Postquam caninos dentes exeruisti in Senatum, ab eo in me insilis, ut me dilaceres. Inseris fictam & falsam narrationem, me apud Magistratus quoslibet conatum esse efficere, ne profugis ex anglia exhiberetur humanitas, hoc est, ne hospitio exciperentur, uel in asperimæ hyemis frigoribus. Hæc uel ipse fingis, uel stulte credulus accepta à delatoribus cōtra me audes scribere. Quos dicas magistratus quoslibet, nostræ ne ciuitatis, an etiam aliarum, non satis assequor. Siue autem nostræ ciuitatis siue aliarum magistratus intelligas, mendacium tuum uerè refello, negans me quicquam conatū esse apud quenquam fungentem magistratu, siue alibi siue in nostra urbe, ut locus hospitij exulibus non daretur. Testis est mihi totus Senatus, & petenti testimonium non recusabit dare. Edictum suum contra Anabaptistas & Sacramentarios promulgauit magistratus, me non sollicitante imo ne quidem sciente. Vidi id ante publicatum, quam quicquam de eo audieram. Mensis erat Martius cum promulgaretur, & Martinus Micron cum paucis siue Anglis siue Gallis uerno tempore Sabbato ante Dom

te Dominicam quam uocant Letare in mea
edes ueniret, adductus iussu iudicis à publico
ministro. Verno autem tempore non solēt esse
asperrima frigora. Quid tu ergo fabularis, me
impediuisse, quo minus exules inuenirent apud
nos hospitium in asperrimis frigoribus? Quod
mei erat officij, magistratus iussu cum uno atq;
altero ex peregrinis perito linguae latinae con
ferebam, comitatus rectore scholae & uno ex
meis comministris, offerebam etiam me Mi
croni petenti ad priuatum colloquiū, ad quod
cum utrinq; aliquot conuenissent, aliam ratio
nem institui ille postulabat. Magistratus suus
faciebat officium, cum intelligeret pertinaces
in suo errore persistere. An peregrini tentaue
rint apud Magistratū obtinere, quod alibi pro
pecunia, non propter Iesum gratis obtinuerūt,
ne hac quidē hora mihi satis constat. In alienis
enim rebus non decet nos esse curiosos. Inani
igitur & uano clamore repleas caelum & au
res, exclamans. O factum malum. Quod
si audetis adeo absq; ullo pudore mentiri in
rebus in medio positis, quis fidem uobis habe
at in alijs remotioribus à communi noticia,
in quibus fidei & salutis cardo uertitur? quis
nisi

nisi extrema malevolentia suffusus uestris in-
sanis criminationibus et conuicijs moueatur?

Ac strenuè quidem in hoc imi-
taris Draconem, de quo in Apocaa-
lypsi habetur: Qui cum potesta-
tem sibi denegatam esse uidisset,
qua mulieri nocere posset, eo quod
alæ ipsi datæ essent, quibus auola-
ret in locum desertum, ubi nutrire-
tur 1266 eñciebat ex ore suo aquã
instar fluminis, ut hoc modo mulie-
er absorberetur.

Draconem imitaris.)

Hæc scilicet profluunt exlympido fonte
sinceræ tuæ dilectionis. Semel atq; iterum
uerba mellita ore perstrepis, dilectum fratrem
appellans, quem crudeliter accusas sanguinis
cupidum esse.

Equidem Deo teste affirmo, quod cupidus
sim tuæ salutis: innocens autem ero à tuo san-
guine, qui non destiti uestros errores uobis ob-
oculos ponere, ut rediretis in uiam. Discutite
conscientiam & facta uestra, ac uidete, ne uos
uestris demolitionibus imaginum et Sacramen-
taria

taria doctrina ac talibus, præbueritis aliquam
causam effusi sanguinis.

Qua mulieri nocere posset.)

Belle applicas locum Apocalypsis. Vos
Sacramentarij estis illa mulier amicta sole &
lunam habens sub pedibus: principes, docto-
res, populus & Ecclesie, quæ non applau-
dunt uestris placitis & errores uestros perse-
quuntur, sunt draco deuorans sanctam Eccle-
siam Cinglianam. Vos estis alendi & fouendi
in solitudine, hoc est, in exilio per dies 1266,
qui indicant tempus persecutionis Ecclesie
sub Papa. Vide ne in nimis longum interual-
lum extendas tempus uestri exilij, si per tot
annos durabit.

Sed putas ne Ioachime, te ita
impositurum uiris optimis ac pru-
dentissimis urbis tuis Senatori-
bus? Tu ne speras futurum, ut
ob audaces tuas, uel potius omni
pudore uacuas detrectationes, a-
nimum sententiamq; mutant? Tu
ne existimas, quod insipidis tuis, ac
H Inula

nulla ratione confictis criminatio-
nibus moti desistere uelint.

Putas ne te ita impositurum.)

Calumniose meam admonitionem uocas
imposturam. D. Lutherus non fuit impostor,
is uestrum Senatum admonuit, cuius admoni-
tio à me reuocata est ad memoriam uestri Sen-
natus.

Vacuas detrectationes.)

Non detraxi clam, uel à tergo: palam
se ipsi, & quod feci, defendo recte beneq; me
fecisse, & in posterum Deo adiuuante defen-
surus sum.

Animum mutant.)

Non est in hominis potestate, animum cuius-
iusquam mutare. Nostrum est hoc spectare,
ut monendo, arguendo, consulendo mutantur.
Si nulla efficitur mutatio, pertinaces Deo rati-
onem reddent.

Inlipidis criminationibus.)

Vobis nihil sapit nisi attemperatum sit ad ue-
strum palatum, & ad uestros affectus, omnia
sunt febricitanti, corrupto & insipido uestro
palato

palato insipida & amara, quantumuis sapiē
da & dulcia.

Atqui longe aliud boni, boni in
quam & pī omnes ab ipsis iam pri-
dem expectarunt, ac etiamnum ex-
pectant. Ei uero expectationi tam
pulchre tamq̃ foeliciter respondēt
(est Deo gratia) ut si tu intuerere,
quanto nos amore, quanto fauore,
quāta deniq̃ humanitate prosequā-
tur, et quidē ab eo ipso die, quo tuā
uiderunt epistolam, animum tuum
tanta amaritudine repletū iri putē,
(siquidē is scriptis tuis respondeat,
quod aliter fieri nō potest, unde e-
nim potius quā inde illa prodire po-
tuissent nō uideo) quanta animi no-
stri exultant lætitia in Domino, ob
tam ingens tamq̃ eximium, quod
in nobis contulit beneficium. Hei
Ioachime tu quidē te quæris ast in-
uenire nō potes. Necq̃ enim ista est
uia, sed ea potius, qua nos Paulus
H 2 ducit

ducit, ut initio sum præfatus. Hæc igitur gradiare, in hoc nostro negotio.

Quanto amore, quanto favore.)

Respondet tibi pro me Apostolus. 1. Cor. 13. dicens. Si omnem substantiam meam erogauero in pauperes, charitatem non habeam nihil sum.

Si qui ex uera charitate propter Christum & ueritatem peregrinos, imopes & miseros amplectuntur & in sinu habent gaudemus ex animo, fortassis sunt, qui persuasi uestram fidem in omnibus synceram esse, zelo & studio, ut putant bono, peregrinis hospitia præbent, & alia humanitatis officia præstant, quanquam ignorantia in clara luce non excuset, cum per multos annos syncera doctrina à fidelibus ministris prædicata sit, & eorum doctrina auditoribus non ignota esse nec temerè deseri debeat. Si autem aliquibus beneficit per contentionem & æmulationem, alijs bonis ægre fit, iustus est dolor, benefacta non bono animo fieri. Quis pius afficiatur leticijs

cia, si uideat Arianos & Anabaptistas, aut alios cœlestis doctrinæ corruptores, cum periculo & damno Ecclesiæ, in sinu foueri?

Animum tuum repleti amaritudine.)

Video & audio multa de fœlicitate et successu malorum, florent impij, fruuntur secundis rebus papistæ, Turcæ, multiq; scelerati, & tamen æquo animo toleramus & uincimus ista scandala. Si Deo placeret, me intueri in aliqua ciuitate, in precio & honore ibi esse Sacramentarios, Anabaptistas & tales, ferrens Dei gratia adiutus & præmunitus consolatione proposita in Psalmo 37. & 73. Si paterer aliquid humanum & commouerer ad indignationem, idem passi sunt sancti propheta: anniterer tamen ut superior essem istis affectibus.

Quod si qua in re errare tibi uideatur siue in doctrina siue in moribus, doce nos cum mansuetudinis spiritu, & quidem per Dei uerbum, nosq; te libenter atq; ex ani-

H 3 mo

mo audiemus. Hoc enim est Christi ministri.

Nos te libenter audiemus.)

Perinde ut haecenus me audiuiſtis, qui uerbum Dei, non fabulas, non figmenta hominum propoſui. Auſcultaretis mihi, ut Iudaei ſolent audire ueritatem cum conuicti obturant aures. Audiretis me, ſi ea quibus praecoccupati & conſtricti ſunt animi ueſtri, aſſerrem.

Tyrannice autem homines cogere & uelle, ut reluctantante conſcientia te ſequantur, non modo à Chriſti ſpiritu alienum, ſed & prorsus inhumanum eſt. De huiusmodi hominum genere, Iuſtinus Philoſophus & martyr inquit: Iam uero quosdam nouimus, qui ſecundum carnem proficientes ad ſuam iram Euangelium detorqueant, uelintque ſaluatoris noſtri oracula ſuae iracundiam propenſionis decreto accommodare: quibus ſi uſu ueneris ut aliquos gehennae tradere poſſent,

sent, totus etiam mundus ab ipsis
cōsumeretur. Attamen, quantum
in ipsis est, et condemnant, & ignis
fornaces accendunt.

Tyrannice homines cogere.)

Nemo apud nos tyrannice quenquam co-
git. Tuis papistis in Anglia dominantibus ta-
lia scribas. Non præsumo quenquam aliter co-
gere quã Dominus in ministerio ecclesiæ iubet
compellere intrare. Magistratus cogit pro sui
officij ratione, moderatè coercēdo, id uero nō
est tyrannice cogere. Si haberetis regnū uestrū
siue in Anglia siue alibi, non sustineretis me,
aut quemquam contradicere uestræ doctrinæ,
non ferretis aliquid mutari in uestræ Ecclesiæ
administratione nec concordiam distrabi, ob-
sisteretis ubiq; nec tamen diceretis, tyrannice
uos cogere: non aliter de nostris quam tuis fa-
ctis iudices. Iustini dictum appositè applicabis
ducibus tuis tibiq; ipsi, uos proficitis secundū
carnem. Detorquetis Euangelicas scripturas,
accommodatis oracula Saluatoris ad uestræ
in iracundiam propensionis decretum. uos,
ut gehennæ tradatis aliquos cuperetis mun-

H 4 dum

*dum conflagrare incendio Sacramentario: de
finite esse eiusmodi.*

De his ut te monerem mihi ui-
sum est, loachime frater in Christo
dilecte; oroq; per Domini nostri le-
su Christi reuerentiam, ut hæc in
bonam partem interpetreris, & in
posterum ab eiusmodi acerbitate
abstas: quin potius coniunctis ui-
ribus aduersus antiquum Serpen-
tem Draconem illum magnum &
Antichristū insurgamus, qui Chri-
sti Ecclesiam inuasit & occupat.
Vale,

In bonam partem interpre-
teris.)

*Vis me nullam ueritatis, nullam conscien-
tiae, nullam innocentiae habere rationem? Vis
laudari à me, cum maledixeris, te bene dixis-
se, cum malefeceris fecisse bene? Vis me agno-
scere crimina falso in me coniecta, quod sim
uastator Ecclesiae, calumniator, imitator dra-
conis? Vis me dicere, tenebras esse lucem, ma-
lum*

lum bonum? Impegisti alapas, ueritatem le-
sisti, defendisti falsam doctrinam, & postulas,
ut hæc omnia in bonam partem accipiam, at-
qui Dei præceptum uetat, falsum testimonium
dicere contra ueritatem, contra proximum,
etiam contra semetipsum, mihiq; dat potesta-
tem iusta ratione tuendi innocentiam meam,
facito quæ bona sunt, quæ pia, quæ Deo gra-
ta, quæ uera sunt, pro his decertes, tum habe-
bis me, tuorum factorum & uerborum candi-
dum in æquum interpretem.

**Desistas ab huiusmodi acere-
bitate.)**

Veritas uobis est acerba; à defensione ue-
ritatis mihi desistendum esset, si nihil scriben-
dum aut dicendum esset, nisi quod uobis sit ma-
turum, auribus uestris molle, animis dulce &
iucundum. Acerbum esse non putas, te cru-
deliter criminari et conuiciari, maledictis pro-
scindere ueritatem & famam bonam ledere,
& putas acerbiter esse, me pugnare pro
ueritate, legitima defensione criminationes
falsas & maledicta repellere? Quod tibi non

H S NIS

nis fieri alteri ne feceris, obtempera tibi ipsi,
& ab huiusmodi acerbitate desiste. Iam ante
te tibi obtuli, iamque iterum offero, ne uerbo
quidem uno asperiore offensurum te, si omissis
quæ non pertinent ad causam conuicti, calum-
nijs & sophismatibus, argumentis & rationi-
bus mecum agere & conferre uelis.

Aduersus Antichristum in- surgamus.)

Non solus Papa Romanus Antichristus est,
sed etiam quisquis Christum aliter prædicat,
quàm ipse de se prædicari uoluit, & ab Apo-
stolis prædicatus est. Christus dicit: Hoc est
corpus meum, qui contra dicit, negans quod
ille esse pronunciat, Antichristus est contra
hunc insurgit, qui dimicat pro Catholica do-
ctrina & fide de cæna Domini, Desinite igitur
contradicere filio Dei, desinite in nos gra-
uius, quam in Romanum pontificem insurge-
re, arma infesta inferre, desinite Antichristo
portas aperire, ut inuadat Ecclesiam, idem
nobiscum sapite, sentite & loquimini, & uo-
biscum

biscum sub imperatoris nostri Iesu Christi si-
gnis fideliter militantes, in Antichristum, in
Pseudopphetas, & hereticos insurgemus,
ut scribis occlusis sectis & seductoribus,
Christo Domino portæ aperiantur,
& Satanae regno destructo, Re-
gnum eius adueniat,
Amen.


FINIS,


Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

08 x 805








29105

X 2201989
Sb.

Handwritten text from the reverse side of the page, visible through the paper. The text is in a Gothic script, with some letters in red ink (rubrication). The text is partially obscured by the binding and the texture of the paper.



APOLO⁼
GETICA ALIQVOT
SCRIPTA MAGISTRI
Ioachimi Vuestphali, quibus &
sanam Doctrinam de Eucha-
ristia defendit, & foedissis
mas calumnias Sacra-
mentariorum
diligit.

VRSELLIS
Excudebat Nicolaus
Henricus.

Anno 1558.

Am

